
De Coniunctionum usu apud
Reinecke: Senecam Philosophum



1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE
CONIUNCTIONUM USU APUD SENECAM PHILOSOPHUM.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS REINECKE

HANNOVERANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA BRUNNIANA.

MDCCCXC.

PETRO LANGENO

S.

De coniunctionum apud Senecam philosophum usu scripturus sum ita, ut praetermittam coniunctiones copulativas *et, atque, que,* de quibus summa cura egit Klammer diss. Bonn., quae inscribitur *Animadvers. Annaean. gramm. (1878),* et particulas concessiv., interrogat., comparat., quarum usum exposuit Naegler duabus commentationibus, quae inscribuntur *De part. usu apud L. A. Senecam phil. Pars I: de part. concess. et interr., diss. inaug. Halis Saxonum 1873* et *De p. u. a. S. Pars II 1880* (progr. Nordhausen.).

Cum omnem igitur loquendi consuetudinem tum particularum usum ut accurate perscrutemur, in hoc maxime scriptore non satis est ea tantum commemorare, quae ab usu vulgari differunt, sed eius quoque usus, qui insolentia caret, fines definiendi sunt, cum Seneca haud paucas voces et structuras apud alios scriptores prorsus usitatas aut omnino vitaverit aut rarissime admiserit. Quae ita esse ex hac commentatione satis apparebit.

Ceterum exempla, quae in dialogis aut l. l. de benef. et clem. leguntur, ex Gertzii, cetera ex Haasii editione citabo.

A. De particulis, quibus coniunguntur sententiae coordinatae.

§ 1. De particulis copulativis negantibus.

a) De particula *nec* de qua Rauschningius in diss. *de latinitate L. A. Senecae* (Regimonti Prussorum 1876) p. 50 et 51 et Opitzius in programm. Naumburg. (1871) *de latinitate Senecae* p. 30 iam pauca exposuerunt, haec esse commemoranda videntur:

α) p. *nec* usurpatur, etiam si una vox sententiae negatur, et saepissime quidem, cum vocibus *nec-sed* aut *nec tantum-sed* duae notiones inter se referuntur, velut de ira I, 5, 3; 15, 2; III, 25, 4; de otio 5, 4; 6, 3 et multis aliis locis; et eodem modo ante nonnulla adverbia: *minus* (de v. b. 5, 1; de ben. III, 30, 3), *magis* (de clem. I, 8, 3), *ideo* (de ira I, 12, 6; II, 10, 8), *ideo minus* (de ben. V, 5, 1), *immerito* (de ira I, 1, 1).

Nec immerito Gertzius de v. b. 13, 2 pro cod. A scriptura *et immerito* substitui vult, „ne Seneca Epicuri sectam ultra quam re vera voluerit, laudet omnique eam culpa liberet.“

At etiam servatis verbis cod. A aliquo modo Epicurus hoc loco vituperatur, verbis dico quae sequuntur: *frons eius ipsa dat locum fabulae . . .*

Deinde scriptor si *nec immerito* posuisset, non bene sibi ipsi constaret. Nam cum antea (in § 1) sine studio atque ira concesserit Epicurum sancta et recta praecipere, hoc loco fieri non potest, ut affirmet sectam Epicuri iure ac merito male audire et infamem esse, sed nihil nisi hoc vituperationis

causa dicere potest, Epicuro ipsi ac sectae eius culpam quandam infamiae attribuendam esse, quia pravi homines nomine voluptatis inhonesto quasi in fronte totius disciplinae inscripto male utantur ad vitia sua excusanda. Hoc autem non verbis *nec immerito* sed *sua ipsius culpa* exprimi debet.

Praeterea in verbis codicis A habemus, quo pronomen *hoc* apte referamus, ad proximam dico sententiam, si Gertzii coniecturam probamus, non habemus. Nam quod illud pronomen ad ea spectare vult, „quae scriptor initio capitis de vera Epicuri sententia et de pessimis imitatoribus male eam accipientibus dixit", nullo modo illuc respicere potest, sententia prorsus aliena ab iis, quae initio cap. sunt expressa, interiecta verbis *male audit, infamis est, nec immerito*. Quam difficultatem Gertzius non sustulit pro v. *hoc* receptis his *hoc scm* = sanctum, praeterquam quod potius exspectamus *haec sancta*, ut in § 1, quam laudat Gertzius, legitur *sancta et recta*.

Itaque lectionem *nec immerito* improbandam esse puto; sed pro *et* cod. A malim scribi *at*, ut sententia clarior fiat; nam exspectatur particula adversativa.

Ut eo redeam, unde deflexi, particula *nec* etiam ante singula membra sententiae negata collocatur, quae pro toto enuntiato posita et subdita sunt verbo finito, ut ep. 17, 9 *nec ultra necessaria sollicitus .... suum reddet;* de ira III, 2, 4; n. qu. VI, 5, 2.

β) Ut *et* (cf. ep. 71, 36; de ben. II, 29, 1) ita *nec* particula adhibetur ad sententiam proximam explicatione aliqua amplificandam de ben. V, 13, 1 *nec hoc ex nostra tantum constitutione;* n. qu. V, 15, 1 *nec-quidem*.

γ) Eodem modo ac solum *et* (cf. de ben. IV, 17, 1; 21, 6; VI, 7, 3; n. qu. VII, 19, 2; ep. 77, 15) *nec* quoque opponendi vim habet, ut de ira I, 3, 2 *irascuntur nec poenam concupiscunt;* de brev. v. 18, 2; de clem. I, 17, 1; II, 7, 2; de ben. I, 15, 6; II, 18, 8 et alibi.

δ) Vocis *nec* pro *ne-quidem* frequentissime positae habes nonnulla exempla apud Opitzium l. l., quibus unum locum

adicio, ubi legis *et nec* pro *et ne-quidem,* de v. b. 17, 3 *non sum sapiens et, ut malivolentiam tuam pascam, nec ero.*

Locutionis *nec-quidem* autem, quae pro *ne-quidem* vel *et ne-quidem* saepius traditur, exempla, quorum complura Rauschningius et Opitzius l. l. attulerunt, omnia Gertzius congessit in studiis criticis in L. A. S. dialogos Hauniae 1874 editis (p. 79 et 80) et ea, quae Madv. ad Cic. de fin. in exc. III exposuit, secutus alia optimorum codicum auctoritate labefieri demonstravit, alia leni coniectura mutavit, cum pro *nec-quidem* substituit *ne-quidem* etiam ibi, ubi *nec-quidem* pro *et ne-quidem* scriptum videtur; quod eo libentius probo, quia vidi usum illum v. v. *ne-quidem* praegressae alicui voci neganti sine ullo vinculo addendarum latissime apud Senecam patere, de quo cf. de ben. II, 13, 3; 27, 4; ep. 15, 5; 17, 6; 72, 6; 72, 10; 74, 17. Huic igitur Gertzii opinioni assensus nusquam *nec-quidem* servandum esse puto nisi n. qu. V, 15, 1, ubi, ut sub *β* dixi, explicatio his verbis afferatur.

ε) De *nec* particula, qua voces negantes excipiuntur, ita tacebo, ut duos locos afferam, quibus verbo negandi et nolendi subdita est, de v. b. 19, 3 et de ben. II, 23, 2 ac pauca exempla voculae *nec* sequentis v. v. *ne-quidem,* quem usum Draeger in libro, qui inscribitur *Hist. Syntax der lat. Spr. 2. Aufl. 2. B. Leipz. 1881* paucis locis ex solo Livio probavit. Vide ep. 88, 2 *ne promittunt quidem haec nec huius rei scientiam adfectant;* de v. b. 15, 4.

ζ) Particulae *nec* in duobus sententiae membris, quae inter se respondent, positae, sufficiant pauci loci, quibus voci neganti duplex *nec* subiectum est, ut de const. s. 9, 2 *(nescit nec-nec);* de ben. I, 6, 2 *(neutrum);* ep. 79, 2; — ep. 17, 6 *(nullius);* ep. 98, 7 *(nihil);* ad Pol. 2, 1.

b) Part. *neve* Seneca in omnibus scriptis miro quodam modo vitavit, nisi uno loco, ep. 7, 8 *neve similis malis fias . . ., neve inimicus multis,* ceteris autem locis rem ita instituit, ut in sententiis adhortationis atque optationis *nec* scribat, sive vox negans non antecedit, ut de tranqu. a. 10, 6; 14, 1; ad

M. de cons. 5, 3 *nec hoc grave duxeris;* de clem. I, 19, 4; ep. 19, 5; 91, 8; 107, 9; 107, 10; sive vox negans antea legitur: *non* de ben. VII, 23, 3; ep. 103, 5; *nihil* ep. 99, 16; *nunquam* de ira II, 21, 4; *nec* Ep. 63, 1 *nec sicci sint oculi . . . nec fluant;* de ira II, 21, 5; III, 7, 2; Ep. 116, 6; 40, 3; 96, 4; n. qu. VI, 32, 6; de ben. VI, 35, 1; *ne* de ben. VII, 16, 4 *ne rapias hoc, nec testeris;* ep. 123, 11. Sententiarum autem finalium ac substantivorum locum tenentium, in quibus *neve* exspectatur, hae formae exstant:

ne-nec de ben. I, 4, 2;
ut-nec de ben. II, 10, 1; n. qu. III, 29, 5; de ira III, 13, 4;
ne-et ne de ira II, 18;
et ne-et ne ep. 24, 24;
ne-et de ben. I, 4, 4.

Itaque cum scriptor part. *neve* paene prorsus se abstinuerit, equidem de ben. II, 35, 3, ubi cod. N habet *Exhortatio est illa, non infitiatio beneficia timeamus nevel intolerabili sarcina pressi deficiamus animo* ab altera parte ea, quae Gertzius pro Haasii lectione *non infitiatio beneficii. Timeamus, ne velut . . . . animo?* satis inepta ac dura proposuit (scripsit enim *non infitiatio beneficii, ne beneficia timeamus, neve ut intolerabili . . . . animo)* tanquam sagaciter inventa laudo, cum librarius a v. *beneficii* oculis aberrans ad v. *beneficia* facillime v.v. *beneficii ne* omitteret (in Haasii enim scriptura et v. *exhortatio* explicatione caret et interrogatio incipiens a v. *timeamus,* per se satis obscura, quomodo cum proximis apte cohaereat, mihi non liquet); ab altera autem parte illud *neve ut* non probo. Quid enim obstat, quominus pro *neve ut,* qui est huius scriptoris anaphorae amor, scribamus *ne ut* (cf. *ne-ne* eodem modo in § insequenti posita), praesertim cum cod. N scriptura *nevel* facilius ex v.v. *ne ut* quam ex v.v. *neve ut* nasci potuerit (de permutatione enim p. p. *vel* et *ut* cf. ind. poster. edit. dialog. a Gertzio additi V, 5).

§ 2. De particulis adversativis.

1. De particulis *sed, at, vero, autem.*

a) De eo usu harum vocum, quo duae sententiae vel notiones contraria ratione ponuntur inter se, haec commemorare satis sit:

α) Particulae *sed* talia exempla affero, in quibus haec v. per anaphoram repetitur, quod non solum post sententiam negantem fit, ut de ira III, 43, 4 *nolo utique occidere, sed exilio, sed ignominia, sed damno afficere;* de ira I, 12, 1; III, 26, 5 et alibi, sed etiam post aientem, velut de ben. III, 8, 4 *dedit hic mihi beneficium, sed non libenter, sed . ., sed . ., sed . .;* de ben. I, 7, 3; 14, 3; II, 26, 2; 28, 1; VI, 42, 2 de const. s. 13, 4.

β) Particulam *at,* et ipsam per anaphoram posuit semel, de ben. IV, 34, 2; post vocem negantem legis de ira III, 41, 3; *nihil ergo habet . . . utile . . at omnia ex contrario mala;* deinde uno loco in initio orationis directae, de ira III, 23, 3 *At vos, inquit, ceteri legati . .,* ita ut ex proximis facile eruatur, cui illud *vos* opponatur; denique eodem modo ac *sed* (lud. 3, 2) in narratione ad inducendum responsum ep. 12, 3 *At ille . . . inquit;* de ira III, 14, 2.

γ) De p. *vero* non opus est quidquam addere.

δ) Particulam *autem* etiam voci *et* subiunxit ep. 58, 15 *et haec autem, quae non sunt, rerum natura complectitur;* 92, 1; ac v. *contra* anteposita vim eius auxit ep. 87, 35 *contra autem insolentiam . . .;* post negantem autem sententiam eodem fere modo ac *sed* posuit de ben. VII, 20, 1.

b) In obicienda aliqua re adhibuit scriptor:

α) saepissime *at,* pro quo *at enim* scripsit velut ad M. de c. 7, 1; ep. 13, 8; 85, 25; et hoc non solum in ea re opponenda, quam ipse statim refellat (de ira I, 8, 6), sed etiam in sententia a scriptore ipso probata et quae refutari nequeat,

velut ep. 77, 18 *mortem times: at quomodo illam media oblectatione contemnis* de ben. III, 15, 3; de ira I, 15, 1;

β) p. *sed,* quae ita apud alios scriptores rarissime invenitur, de ira I, 8, 4 *sed quidam, inquit, in ira se continent;* 11, 1; II, 26, 3; ep. 99, 10; de v. b. 6, 1 et aliis locis.

c) In eo quod obiectum est, refellendo:

α) plerumque *sed;*

β) rarius *vero,* ut de prov. 6, 1; *quare tamen bonis viris patitur aliquid mali deus fieri? Ille vero non patitur;* ep. 92, 27; *immo vero* ep. 9, 12.

d) In re tractanda sententiae simpliciter inter se vinciuntur:

α) p. *sed,* velut n. qu. VI, 14, 2 *sed quem ad modum . . .;* ep. 79, 6;

β) p. *vero* n. qu. II, 6, 2 *aer autem si in atomos inciditur, sparsus est; teneri vero disiecta non possunt;* de ira I, 14, 2; — *iam vero* de ira I, 2, 1; de prov. 1, 4;

γ) p. *autem,* quae talem vim frequentissime habet et in sententiis aientibus, et in interrogationibus (cf. de ira I, 10, 4; 12, 1; de const. s. 5, 5), et saepius eo quoque modo, ut vox aliqua ex proxima sententia iteretur, cui aliquid explicationis gratia addatur, ut de ira II, 22, 2 ep. 68, 6; 80, 4. — A quibus exemplis haud multum abit *autem* in parenthesi (vid. de ben. II, 18, 3; ep. 79, 1).

e) In assumenda syllogismi propositione minore quam dicunt logici, legis:

α) p. *autem,* quae Draeger (§ 335, 11) num apud alios scriptores praeter Ciceronem ita reperiatur notum esse negat, apud hunc philosophum saepissime, ut de ben. V. 11, 6; 12, 3; 15, 1; de ben. VII, 4, 7; 4, 8; de const. s. 5, 3; 7, 1; 8, 1;

β) *at* paucis locis, ut ep. 92, 21; et bis n. qu. II, 38, 2 *effugiet pericula, si expiaverit . .; at hoc quoque in fato est, ut expiet: ideo expiabit,* ubi *at* respondet superiori *atqui.*

Iam de singulis particulis aliquid addendum est.

f) Post sententiam concessivam vel condicionalem v. *at*

eandem vim habet ac *tamen*, sive illa negans est, ut ad Helv. 4, 2; ep. 68, 1; de ira III, 1, 4 *(at certe)*; ad Pol. 4, 3; sive aiens est, ut n. qu. II, 59, 12.

g) Particulae *autem* singularis usus est, quo a significatione v. *enim* vix differat. Exemplis, quae Gertzius ad locum, qui est de ben. V. 10, 3 adnotavit, addo: de ira III, 19, 4 *timuit, ne quam liberiorem vocem exstremus dolor mitteret . :. sciebat autem innumerabilia esse, quae obicere illi nemo nisi periturus auderet.*

h) Pauca adiungam de formula *non solum-sed etiam* et similibus. Quarum quae maxime usitatae sunt, *non solum-sed etiam* satis raro, in epistolis quater tantum, *non modo-sed etiam* nusquam posuit, at *non tantum-sed,* ut iam Rauschningius (cf. p. 55) vidit, longe plurimis locis, praeterea haud ita multis *non t.-sed etiam* scripsit et rarissime hae, quas iam enumerabo, exstant:

nec t.-s. quoque ep. 108, 20; cf. 114, 12;
non t.-s. etiam quoque n. qu. I, 3, 9;
non t.-etiam ep. 77, 6;
non t.-et ep. 78, 21;
non t.-quoque de clem. II, 7, 4; de ben. V, 13, 1;
non t.-verum ep. 73, 3;
non t.-~ de brev. v. 14, 1; ad Helv. 12, 3;
~*-non t.* de ot. 5, 4; de tranqu. a. 11, 8;
non sol.-s. quoque de ben. III, 17, 4;
non s.-sed ad M. de c. 26, 6; de ben. I, 10, 5;
~*-non solum* ad M. de c. 7, 1;
non solum-~ n. qu. VI, 1, 7;
*non tantummodo,-*s. *etiam* de ot. 3, 5; 5, 4;
non tantumm.,-sed n. qu. I, 16, 2;
nec tantumm.-~ de ben. IV, 5, 1;
non-sed etiam ep. 108, 4;
non t. dico,-sed et n. qu. I pr. 7; VI, 16, 1;
nec modo-sed uno loco, ad M. de c. 4, 3.

Quare non ab omni parte verum est, quod Rauschn.

(p. 57) dicit, v. *modo* exceptis iis locis, ubi ad tempus spectet, non usurpari a Seneca nisi aut post. p. *si* aut post pron. relat. (cf. de ben. VI, 35, 5; ep. 71, 5) aut apud imperat. (cf. huius comm. § 11, I, 9). Neglexit praeterea de prov. 2, 2 *quis autem, vir modo et erectus ad honesta, non laboris adpetens iusti . .?*

Negatur alterum membrum illius structurae vix alibi nisi ep. 87, 29 *(non t. non-sed)*; ep. 87, 33 *(etiam-non tantum non)*; ad M. de c. 2, 4 *(non dico non-sed)*; utrumque autem membrum negatum inveni uno loco, ad Pol. 6, 4 *(nec tantummodo non-ne quidem)*. At in utroque membro vox negans per breviloquentiam omissa ex proximis mente addenda est n. qu. VI, 16, 1 *non tantum illo dico ..., sed illo dico ...,* quae dicta sunt pro his: „non tantum non sine illo esse dico..., sed ne sine illo quidem dico."

i) De locutione *ne quidem-sed*, cuius Draeger (§ 333, 8, k.) tria tantum exempla proferre potuit, Gertzius (in stud. crit. p.p. 116 et 117) recte disputavit. Exemplis ibidem congestis adiungo haec: de ira I, 2, 5; ep. 67, 6; 83, 20 *tunc libidinosus ne cubiculum quidem exspectat, sed cupiditatibus suis, quantum petierunt, sine dilatione permittit.* Ab his locis secerno eos, quibus verbis *ne quidem* vox negans, quae antecedit, excipitur, ut const. 14, 3 *non vindicavit iniuriam, ne remisit quidem, sed factam negavit;* ad Pol. 13, 2.

2. De ceteris particulis advers.

a) *Verum* p. praeter ep. 73, 3, quem locum sub 1, h citavi, semel invenitur in verbis ab adversario obiectis ep. 73, 5 *verum alios quoque rex protegit.* Quod si miraris, inter haec duo exempla tam parvum intervallum intercedere, cf. ea, quae de part. *igitur* dicam § 5, 1.

b) De partic. *atqui* in syllogismo usurpata vel idem valente ac nostrum *und doch* scripsit Rauschn. (p. 60). Libet paucos locos adicere, quibus scriptor hac p. ad ea, quae sibi opponi fingit, respondet, de ira II, 12, 3 *non potest, inquit*

omnis ex animo ira tolli . . . Atqui nihil est tam difficile . . .; III, 3, 1; de v. b. 10, 2. Neque vero in ipsa re opponenda p. *atqui* usurpavit; in exemplo enim a Draegero (§ 336, 5) allato, ad Helv. 9, 1 cod. A exhibet *at.*

c) *Ceterum* p., praeterquam quod ad sententias simpliciter conectendas adhibetur adversativam quoque vim frequentissime habet, ut de tranqu. a. 1, 13; n. qu. II, 32, 6 et 8; ep. 16, 1; 86, 12; etiam tum, cum antecedit v. *quidem,* velut n. qu. II, 2, 3 *quae sensum quidem effugiunt ceterum ratione prenduntur;* II, 10, 1; III, 26, 8; VII, 26, 2; ep. 71, 33; 108, 21; — aut vox negans, ut ep. 85, 3 *sapientem non vinci moerore, ceterum tangi;* de v. b. 24, 5; ep. 95, 50.

Idem fere est quod *re vera autem* n. qu. VII, 12, 5 *ista nobis vicina videntur; ceterum intervallis ingentibus dissident.*

d) Particulae *rursus* idem valentis atque *ab altera parte* multa sunt exempla, ut de ben. I, 6, 3; VI, 16, 6 (cf. Rauschn. diss. p. 62). Sed Rauschn. cum eo processit, ut affirmet nusquam huic voci propriam significationem inesse, nullam rationem habuit horum ll.: n. qu. I, 5, 1 *retorta oculorum acie et in se rursus reflexa;* III, 5; 6, 1; VII, 6, 2; ep. 85, 25; 89, 14 aliorumque.

e) *Nunc* particula multis locis non ad tempus pertinet, sed in opponendis sententiis usurpatur et semper fere ita, ut sententia illa voce inducta id, quod periodo condicionali irreali, quae antecedit, ponitur tantum ac fingitur, verum non esse significetur; quod vel uno exemplo liquebit: n. qu. I, 5, 10 *si ullus esset in arcu color, permaneret et viseretur eo manifestius, quo propius: nunc imago arcus, ex longinquo clara, interit, cum ex vicino ventum est;* similia habes: n. qu. V, 18, 7 et 11; VI, 25, 3; ep. 66, 3; de ben. I, 1, 12; de tranqu. a. 9, 7; ad Helv. 5, 2; de ira II, 33, 6; III, 12, 3; de ot. 3, 1. Quam significationem magis expressit Seneca interdum addita voce *vero,* ut de ben. IV, 3, 1; ep. 50, 4; 113, 14; n. qu. VI, 6, 3. His duobus locis propositio minor syllogismi ab

his vocibus incipit, cum in conclusione altero loco *ita* altero *ergo* sequatur. Nonnunquam anteposita voce *at* p. *nunc* maius pondus attribuit, ut ad M. de c. 20, 4, ubi Gertzius illa opponendi vi apud Senecam nullam part. nisi aut *nunc* aut *nunc vero* esse praeditam arbitratus iniuria illud *at* ante v. *nunc* delevit, cum idem *at nunc* tradatur n. qu. IV, 2, 25 et praeterea *nunc autem* cum eadem sententia n. qu. VII, 7, 1; 18, 1; de ira III, 29, 2; denique *sed nunc* n. qu. I, 3, 4.

Plurimis igitur horum locorum periodus condic. irrealis antecedit; de ira III, 12, 3 antea coni. adhort., de ot. 3, 1 coni. optat., de ira III, 29, 2 et ep. 113, 4 periodus condic. legitur, quae in protasi et apodosi futurum habeat.

§ 3. De particulis disiunctivis.

a) Particulae *aut, vel, ve,* sive in duobus membris posita inter se respondent., sive non, disiungendi vim habent in sententiis et aientibus et negantibus, in interrogationibus et directis (cf. de prov. 4, 8; de ira I, 8, 3; — ep. 70, 15; — de ben. I, 15, 2) et indirectis (cf. de ira II, 4, 1; 25, 4; — ep. 18, 9; de ben. I, 3, 2; ep. 88, 26). Ceterum, quod est huius scriptoris studium varietatis, de quo alias fortasse accuratius scribam, hae particulae etiam promiscue inveniuntur in eadem sententia, velut n. qu. II, 49, 2 *cum forum tangitur vel comitium aut principalia urbis liberae loca;* ep. 9, 16; n. qu. I, 2, 2.

b) Breviter attingo illum usum p. *aut,* quo idem est ac *si hoc non ita est* vel nostrum *sonst.* Vid. de ira I, 21, 1; n. qu. II, 24, 1.

c) De alia significatione huius particulae paucis agendum videtur qua aut idem valet ac *modo - modo,* si unum idemque subiectum modo hoc modo illud facere dicitur, ut d. v. b. 4, 1 *idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coartatur et aut in cornua sinuata media parte curvatur aut recta fronte explicatur;* ep. 104, 27; — aut

eandem fere vim habet ac *partim - partim, alii - alii,* si totum aliquid antea commemoratum p. *aut* semel vel identidem posita ita in partes seiungitur, ut de alia parte aliud dicatur, ut n. qu. III, 2, 1 *aut stant omnes aquae aut colliguntur; aliae sunt dulces, aliae variae;* ep. 94, 62; 104, 29 *tota illi aetas aut in armis est exacta aut in aetate concipiente iam civile bellum;* 113, 17; ep. 24, 3; 74, 4; de ira II, 23, 4; de ben. VI, 7, 3; 17, 1; n. qu. II, 2, 3; 11, 2; 47; 50, 2; 50, 3; V, 7, 1; VII, 29, 3; et alibi. Simplex *aut* ita rarissime legitur, ut n. qu. VI, 20, 1. Hunc usum nemo exemplis probavit nisi Draeger ex Taciti scriptis (cf. l., qui inscribitur *Syntax und Stil des Tacitus,* § 129).

d) Deinde paucis locis p.p. *aut - aut,* cum idem esse videantur atque *et - et,* hanc fere sententiam habent: *sive de hoc, sive de illo cogitas,* ut ad M. de c. 2, 3 *Marcellum . . adulescentem . . . . frugalitatis continentiaeque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandae,* ep. 54, 2; quibus unum exemplum addo particulae *vel,* n. qu. IV, 2, 12.

e) De particulis *sive* vel *seu* promiscue usurpatis (cf. n. qu. II, 59, 3) haec commemoranda esse puto:

α) uno loco legitur *si-sive* ep. 117, 22 *nam si vis vivere, quid optas mori, sive non vis, quid deos rogas;* nisi forte cum Haasio scribendum censes *sive-sive,* cum syllaba *ve* ante v. *vis* facile excidere posset. Particularum *si-sive* enim ita positarum, ut et primum membrum a part. *si* exordiens et alterum a part. *sive* suam sententiam primariam habeat paucissima exstant exempla; quare Cic. de fin 1, 6, 20 Madvigius proposuit: *sive-sive* (cf. Draeg. § 346, 1).

β) P.P. *sive* et *vel,* quas Draeg. (§ 346, 7) apud poetas tantum inter se respondere affirmat, coniunctas habes n. qu. III, 20, 4 *sive virgam vel frondem demerseris,* nisi hoc quoque loco illud *sive* propter syllabam sequentem in suspicionem vocandum et simplici *si* mutandum esse iudicas.

γ) Simplex *sive* prorsus idem est atque *vel* n. qu. V, 17, 4 *ergo horizon sive finiens circulus* et ep. 51, 1.

δ) Coniunctivum modum, si excipimus secundam personam generaliter intellegendam, quam nonnullis locis invenis, ut de br. v. 13, 2; de ben. III, 29, 5; n. qu. VII, 27, 6 et aliis, duobus locis admisit scriptor, n. qu. III, 25, 11 *sive infusa, sive pota sit* et n. qu. I, 2, 3.

§ 4. De particulis causalibus *nam*, *enim* ceteris.

1. Praeterquam quod p.p. *nam* atque *enim* et ad causam et ad explicationem afferendam usurpantur, cuius usus exempla afferre non opus est, haec singillatim attingenda esse puto:

a) Breviloquentia quaedam in his particulis inest, cum in responso ante p. *nam* vel *enim* vox aiens nobis esse audienda videtur, velut de ira I, 20, 3 *At incidit et in viros. Nam viris quoque puerilia ac muliebria ingenia sunt;* de ira II, 16, 3 *(enim);* aut cum in praeteritione, quae dicitur, scriptor particulis illis rem aliquam quasi praetereundo addit et simul, cur tam breviter perstringat, causam indicat, quem usum particulae *nam* haud rarum in part. *enim* invenis n. qu. I, 1, 9; III, 11, 6; V, 4, 2.

Tota vero sententia ante particulam *enim* in interrogatione mente addenda esse videtur de ira III, 27, 3 *Peccavit: hoc enim primum? hoc enim extremum?* (audias, si vis *haec causa irascendi esse non debet);* cf. ep. 77, 18; 90, 8. n. qu. VII, 26, 2; de ben. I, 14, 1; VI, 27, 7; de ira II, 21, 7; de v. b. 21, 1; et eodem modo legitur formula *quid enim?* cum insequenti altera interrogatione ep. 24, 17 *adligabor: quid enim? nunc solutus sum?* (cogitanda sunt haec fere post verbum *adligabor: hoc pro nihilo duco);* fragm. 97 te aliis locis, quos non collegi. Quare non prorsus recte Draeger (§ 350, 6b) dixit in hoc oratorio genere loquendi nihil desiderari nisi verbum finitum in interrogatione: *quid enim?* Quamquam non desunt exempla, quae ad ea, quae Draeger exposuit, quadrent, cf. de ben. VII, 19, 1.

b) *Nam* p. in interrogatione alicui voci adnexam, quam nos interpretamur *denn*, bis in omnibus Senecae scriptis inveni, de clem. I, 16, 4 *(numquidnam)* et de ben. III, 23, 2 *(quaenam)*.

2. V. *namque* legitur duobus locis, n. qu. III, 25, 6 et ep. 95, 64.

3. *Etenim* p., quae semel secundo loco sententiae collocata est, ep. 95, 49 *laedere etenim* . ., aut causa (cf. ad M. de c. 19, 3) aut explicatio (cf. de ben. VII, 5, 1) proximis subiungitur. In paranthesi autem cum haec vox apud Senecam non inveniatur, de v. b. 17, 4 dubito Gertzii scripturam *etenim ego* pro cod. A verbis: *enĩ ego* propositam lectioni vulgari *ego enim* praeferre.

4. *Quippe* p. causalem vim habet n. qu. III, 2, 1; 27, 12 *ne dolor quidem locum habebat; quippe vim suam perdit in eo, qui ultra sensum mali miser est;* n. qu. III, 29, 8; IV, 2, 5; 2, 19; ep. 115, 8.

Quam ob rem non intellego, cur ad Pol. 18, 2 Gertzius Schultessium secutus pro cod. cod. A O lectione *quippe et ipsa intereunt* receperit hanc *quippe et ipsa intereuntia,* eo minus, quod partic. *quippe* cum participio coniuncta ab usu sermonis Senecae abhorret.

§ 5. De particulis conclusivis.

1. Priusquam singula usus genera exponam, pauca de collocatione dicam p. *itaque;* quae non solum secundo loco posita est, sed etiam tertio (cf. de ira II, 19, 2) et quarto, de ira II, 17, 1 *et apud iudices itaque* . .; ep. 4, 8; — ac de p. *igitur* modestissimo usu. Exemplis enim ut rem demonstrem, *igitur* p. in ll. de tranqu. a. et de brev. v. duobus locis (de br. v. 10, 5 et 6) *itaque* 23 locis, *ergo* 11 locis legitur; omnium vero epistularum nisi in duabus 82, 18; 104, 20, *igitur* p. nullum est vestigium. Ceterum

2. haec de p.p. *ergo, itaque, igitur* mentione digna sunt:

a) de eo usu, quo causa vel origo alicuius rei significatur, satis sit pauca exempla p. *ergo* citare, ep. 101, 3; 104, 6.

b) Rationis conclusio his particulis indicatur; et quidem

α) in interrogationibus, cf. de prov. 5, 7 *(itaque);* ep. 113, 7; de ira I, 15, 1; — de ira I, 5, 3 *(ergo);* 8, 3; 8, 4; — ad M. de c. 19, 4 *(igitur)*. Sed de interrogationibus, quae habent p. *ergo,* pauca adicienda sunt. *Quid ergo?* enim formulam ita, ut alia interrogatio addatur, creberrime Seneca adhibuit et ad ea, quae adversarius opposuit, diluenda, ut ep. 78, 17 *dolorem gravem sentio. Quid ergo? non sentis, si illum muliebriter tuleris;* 90, 16 et 17 (per anaphoram bis positam); de ben. V, 15, 2; de prov. 3, 5 et 6; — et longe plurimis locis ad exordienda ea, quae adversarium Seneca obicere fingit, ut ira I, 6, 1; 8, 7; 12, 1; 16, 1 (per anaphor. iteratam); 16, 7; 20, 4; de ira III, 26, 2 *quid ergo? inquis impune ille erit? Puta velle te, tamen non erit;* de v. b. 16, 3. Quin etiam sententia adversarii a. v.v. *quid ergo?* exordiens eadem formula infirmatur de ben. III, 17, 1.

Praeterea, v.v. *quid ergo* in initio orationis directae leguntur, ut antea aliquid cogitandum sit, cui respondeatur, de clem. I, 9, 4; de ben. IV, 27, 2 *itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: quid ergo? Achilles timidus est? quid ergo? . . .?;* eodem modo ac simplex *ergo* de ben. V, 19, 7 et ad Helv. 15, 1.

Ceterum Rauschning. (p. 13) multis exemplis coacervatis recte dicit, alteram interrogationem plerumque a v. *non* incipere, neque vero usquam a part. interrog. neque a tali pronomine nisi de ben. VI, 16, 1 *(quid ergo? quare . .)* et ep. 87, 16 *(quid ergo? utrum — an . .)*. Sed duobus illis locis in v.v. *quid ergo* simplex concludendi vis, non simul opponendi aut refellendi inest. Iam vero

β) eandem conclusionis significationem habent illae particulae in syllogismi, qui dicitur, tertio membro. At Seneca p. *igitur* apud alios scriptores usitatissimam cum prorsus vitet,

fere semper *ergo,* paucissimis locis *itaque* scribit, ut ep. 106, 10 *bonum corporis corporalis res est; bonum hominis et corporis bonum est: itaque corporalis res est;* de clem. II, 7, 1.

γ) In adhortationibus, in quibus, ut mox videbimus, p. *proinde* satis parce posuit, saepissime usurpavit *ergo* et *itaque,* paucis locis *igitur*

et cum imperat. coniunctas, velut de v. b. 17, 3 *(exige itaque a me);* de tranqu. a. 1, 13; ad M. de c. 3, 3; 26, 1; ep. 20, 3; 40, 3; 22, 3; 27, 1; — de ira II, 3, 5 *(ergo);* de const. s. 6, 9; de tranqu. a. 1, 17; ep. 20, 6; 20, 8; 32, 3; n. qu. VI, 14, 3; — de ben. VI, 3, 3 *(igitur);* ep. 104, 20;

et cum coniunctivo, ut ep. 42, 8 *(itaque.);* 60, 4; 63, 15; 71, 35; 73, 15; 81, 4; 87, 11; 91, 15; — de ira III, 7, 2 *(ergo actiones nostrae nec parvae sint . . .);* 8, 7; de v. b. 12, 3; n. qu. III, 1, 1; VI, 4, 1 et 2; ep. 20, 8; ep. 63, 16; 65, 24; — n. qu. I, 5, 5 *(igitur).*

δ) Post digressionem, ut ad rem redeat, utitur p. *ergo* ep. 120, 3 *nunc ergo ad id revertor;* ep. 57, 6; de tranqu. a. 2, 4; — *itaque* ep. 75, 12. — *igitur* p. nullum exstat exemplum, non magis, quam

ε) in transitu ad rem propositam singillatim tractandam, ubi *ergo* habes n. qu. V, 7, 2 *primum ergo antelucanos flatus inspiciamus;* VI, 22, 1.

3. Aliis vocibus, quibus conclusiva vis inest, his Seneca utitur:

a) *Ita* p. ep. 113, 20 *prudenter tacere bonum est; coenare bene bonum est: ita et tacere et coenare animal est;* ep. 77, 15; 85, 18; de ot. 7, 2; de ira I, 9, 3; de ben. III, 15, 3; 19, 4; V, 13, 4; VII, 6, 1; etiam in syllogismo, ut de ben. III, 19, 1 *beneficium enim id est, quod quis dedit, cum illi liceret et non dare; servus autem . . .; ita non praestat . . .;* III, 35, 1;

b) saepissime voc. *ideo,* ut de ira I, 3, 8; 6, 4; 10, 1;

17, 3; et eadem in adhortationibus, ut de ira III, 3, 1 *ideo . . . monstra;* ep. 114, 22; — *ideoque* de const. s. 5, 4; ad M. de c. 22, 1; de ben. V, 1, 4; ep. 121, 23; *et ideo* ep. 56, 8; 66, 11; 92, 23;

c) v.v. *ob hoc* de ira I, 6, 5; ep. 124, 8; n. qu. IV, 4, 2; V, 9, 2; VI, 26, 4;

d) *ex eo* de ira I, 3, 8;

e) v. *inde* de ira II, 19, 2 *inde quasdam umidas vocamus;* III, 31, 1; ep. 78, 11; 108, 15; n. qu. VI, 23, 4; 29, 3 *(de formula inde est quod* cf. hui. comm. § 6, 1 f).

f) *Proinde* in adhortationibus tam raro admisit, ut in epistolis et nat. quaest. nusquam inveniatur, nisi ep. 102, 24 et n. qn. VI, 1, 10. Praeterea cum imperat. coniuncta est de v. b. 27, 3; de const. s. 6, 8; ad M. de c. 17, 5; de ben. II, 29, 4; cum coni. ad M. de c. 5, 6; ad Pol. 4, 1 et paucissimis aut nullis aliis locis.

Denique hac p. duobus locis non si formam, sed si sententiam spectamus, adhortatio satis aperte significata inducitur, ad M. de c. 25, 1 *proinde non est quod ad sepulcrum filii tui curras,* (locutionem *non est quod* saepissime loco imperativi esse apud Senecam dicit Rauschning. p. 9) et n. qu. VI, 32, 5 *proinde . . . anima in expedito est habenda.* Tertio autem loco, ad Helv. 8, 6, ubi p. *proinde* cum interrogatione coniuncta est, *proinde, dum oculi . . . . , quantum refert mea quid calcem?*, cum de adhortatione non bene cogitari possit, scriptorem rem aliter instituturum fuisse iudico, nisi longa serie sententiarum a p. *dum* incipientium interiecta initii totius periodi iam immemor fuisset.

Quare vel si consuetudinem sermonis, quae valet in Senecae scriptis, respexerimus, Haasius ep. 21, 9 ex cod. manca scriptura *pro eo libentius . . . commemoro* prave haec elicuisse videbitur: *proinde eo libentius . . .*

Sed accedit, quod haec coniectura sententiae ratione respuitur. Neque enim v.v. *proinde eo libentius . . . . , ut isti . . . . probent* ullo modo conclusio ex proximis esse possunt,

sed nova potius causa indicatur, cur bona praecepta ab Epicuro mutuari Seneca non dubitet.

Fickerti in scriptura *probo eo libentius Epicuri egregia dicta, commemoro, ut isti* . . . verbum *probo* iuxta *commemoro* positum languidum est, cum Seneca non probando sed commemorando efficere studeat, *ut isti* . . . Nec verba *probo eo libentius* . . . apta cohaerentia proximis accedunt et, si v.v. *eo libentius* ad v.v. *ut isti* . . . spectare vis, illa ab his voce *commemoro* moleste secernuntur.

Ego in initio novae causae afferendae *porro* loco vocis *pro* scribendum esse puto.

g) *Hac re* legis ep. 9, 9.

h) Scriptor, ut, quamvis saepe occasio data sit sententias pronomine relativo vinciendi, demonstrativum praeferre solet (ut in l.l. de prov., de const. s., ad M. de c., de clem. sexies tantum pronomine relat. sententias conexuit), ita vocum conclusiv. *quapropter, quam ob rem, quocirca, quare* hanc ultimam solam admisit et ne hanc quidem nisi de ira III, 8, 6; ep. 47, 17; 55, 8; de v. b. 8, 6; cum imperat. ep. 33, 5; ad M. de c. 5, 3; cum coni. adhort. ad M. de c. 6, 3; de ben. II, 22.

i) Vitavit Seneca etiam v.v. *idcirco, propterea, hinc, eo* in sententiis conclus.

B. De particulis in sententiis subordinatis.

§ 6. De particulis, quae leguntur in sententiis loco substantivorum positis.

1. De p. *quod.*

a) Pronomen demonstrativum aut substantivum sententiae primariae insequenti *quod* explicatur.

b) P. *quod* in initio sententiarum est, de quibus sent. primaria iudicium fit et verbo faciendi quidem cum adiectivo coniuncto, ut de v. b. 20, 6.

c) Locutionum *non est quod, habere quod, cur, est cur, quare,* illam primam praeter ceteras, quas rarissime admisit (cf. de prov. 6, 3; de tranqu. a. 9, 6; de v. b. 13, 1; de ot. 6, 4), tam valde adamasse, ut paene molestiam nobis aspergat, iam Rauschn. (p. A.) exemplis confirmavit. Inspicias de const. s. cp. 6, ubi illud *non est quod* quater legis.

d) Verbo adiciendi cum p. *quod* et imperativo pro vulgari *accedit, quod* hunc scriptorem frequentissime usum esse, videbis ex iis, quae Rauschn. dixit (p. 10). Quibus addendum est, Senecam ad sententias superioribus adnectendas omnino verbum accedendi cum p. *quod* non admisisse, nisi n. qu. VI, 18, 6 *etiamnunc et illud accedit . . . quod;* VII, 7, 1 *his accedit illud quoque, quod;* de ira III, 8, 3 *accedit huc, quod;* ceteris autem locis rem ita instituisse, ut aut substantiva (cf. ad M. de c. 3, 1; ep. 31, 8; 115, 12; de ben. VII, 26, 5) aut accus. cum inf. (cf. n. qu. I, 4, 1) aut sententia primaria sine ullo vinculo addita verbum accedendi sequatur, ut ep. 110, 16.

Locutio *adde quod* et ipsa paucissimis locis legitur, ut n. qu. IV, 2, 24.

e) Illum usum, quo particula *quod* apta est ex verbis, quibus affectus quidam animi indicatur, ita silentio transeo, ut unum exemplum inauditum proferam, de ben. II, 3, 3 *malo, quod illum talem inveni, quam si* . . ., ubi *malo* idem fere est ac *magis laetor*.

f) De p. *quod* alia verba sive personalia, sive impersonalia sequenti hi loci afferantur:

de ben. VI, 13, 4 *itaque debeo, non quod redimis me, sed quod eligis;* idem verbum est VI, 14, 2; VII, 31, 3;

ep. 58, 31 *Plàtoni contigisse, quod natali suo decessit et annum unum atque octogesimum implevit;*

n. qu. III, 20, 4 *inde est, quod res abiectae in eundem lacum lapideae subinde extrahuntur;* n. qu. IV, 13, 8; ep. 74, 11; quam formam loquendi, qua idem dicitur ac *sic fit, ut* (de ben. III, 3, 4) Erasmus pro cod. mutila scriptura *id est* recte recepit de ira II, 2, 5. Uno autem loco, de ben. II, 26, 2 p. *ut* inde pendet.

g) *Quod* tale, ut sonet *quod attinet ad id quod* duobus locis inveni n. qu. VI, 29, 1; ep. 45, 3.

h) *Quid, quod* legis saepius; exemplo sint de ira III, 28, 4; de v. b. 8, 1; de ot. 1, 1; n. qu. VI, 27, 3; 28, 1.

i) Idem, quod alii scriptores plerumque v.v. *praeterquam quod* expresserunt, Seneca vocibus *praeter hoc, quod* ep. 81, 29; ad M. de c. 23, 1, semel v.v. *praeter id, quod* de clem. II, 2, 2 significavit, cum v.v. *praeterquam quod* nusquam legantur.

2. Paucis locis nomen sententiae primariae explicat scriptor enuntiato, quod inducitur p. *quia*, de brev. v. 16, 2 *nec est quod hoc argumento probari putes longam illos agere vitam, quia interdum mortem invocant;* de v. b. 13 *hoc est cur ista voluptatis laudatio perniciosa sit, quia honesta praecepta intra latent, quod corrumpit, apparet;* ep. 122, 14 *causa autem est ita vivendi quibusdam, non quia* . . ., *sed*

quia . . . Si fortasse quispiam dicat, scriptorem hoc quidem loco p. *quia* praetulisse, quod ex illis formulis loquendi *non quod, non quia, non quo* . . . . *sed quod, sed quia,* ut videbimus huius comm. § 9, 3, nullam nisi hanc *non quia* . . ., *sed quia* admiserit, illis autem duobus locis ideo praetulisse, ne vox *quod* parvo spatio interposito repetita displiceat legentibus, inspiciat de brev. v. 16, 3, ubi v. *quod* paucis verbis interiectis iterare non dubitavit, et de ben. III, 6, 2 *magnumque hoc argumentum est dandam non fuisse, quia* . . ., ubi quamquam nulla talis, qualem in illis exemplis suspiceris, causa est, tamen p. *quia* in sententia loco subst. posita usus est.

3. De p.p. *ut* et *ne.*

a) Voci alicui sent. primar. particulis illis explicatio subiungitur, cuius usus haec exempla citentur ep. 66, 25 *huc usque, ut*; ad Helv. 1, 4 *hoc te non esse negaturam* . . ., *ut desiderio tuo velis a me modum statui;* de ben. IV, 36, 2 *est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des.* Hoc loco illud *est in eo* habet eandem significationem ac *interest* vel *refert,* aliam autem ep. 16, 1 *plus operis est in eo, ut proposita custodias;* neque vero usquam notam illam *daran sein, im Begriffe sein.*

Neque omnino praeterea alio loco p.p. *ut* aut *ne* pendent ex pronomine cum praepositione coniuncto nisi de ben. III, 38, 2 *ad hoc unum contumax fui, ne* et ep. 101, 15 *saepe autem in hoc est bene, ne diu* (audias *vivas*). Iam

b) ea verba enumerare satis sit, post quae rarius illae p.p. poni solent. Sunt autem

α) v.v. impersonalia:

prope est, quod Draeger (§ 404, 2) apud Livium solum falso putat reperiri, legis de clem. II, 6, 4 *quam si quis a sapiente exigit, prope est, ut lamentationem exigat;* ep. 120, 21; de clem. I, 14, 3.

Eundem Draeg. errare, cum § 404, 5 dicit, verbum *superest* cum p. *ut* coniunctum non ante Plinium (cf. ep. 1, 1, 2) loco verbi *restat* esse, demonstratur huius script. ep. 89,

17 *superest, ut rationalem partem philosophiae dividam.* Aliis locis v.v. *superest, ut* eandem vim habent atque *abest, ut,* ep. 68, 13 *iam vitia . . . non multum superest, ut exstinguat;* ep. 92, 15;

necesse est, ut habes n. qu. 2, 14, 2; ep. 78, 16 — *nec. est ne* ep. 4, 3 *nec. est aut ne perveniat aut transeat;*

v. *incidere* pro *accidere* n. qu. VI, 6, 4 *in fluminibus videmus incidere, ut incrementum . . . in lateribus maxime appareat;* satis inusitatum est *accidere, ne* pro *accidere, ut non* ep. 76, 19 *virtus, cui iam accidere, ne sit bonum, non potest.*

Accedant denique n. qu. I, 1, 2 *convenerit inter nos, ne;* ep. 90, 14 *quomodo, oro te, convenit, ut et Diogenem mireris et Daedalum?;*

ep. 74, 11 *ex hac deploratione nascitur, ut . . . simus.*

β) Verborum personalium haec maxime mentione digna sunt:

adice ut, uno loco scriptum, de ben. III, 33, 2 *adice ut idem patrem reum defendat . . .,* ubi, cum scriptor, postquam hui. cap. § 1 Scipionem, quod patrem in proelio servaverit, laudibus extulit, inde a § 2 alias praeclaras res fingat tantum ac ponat, quibus gestis in patrem pietatem ostendat et honorem eius augeat, p. *ut* natura sententiae postulatur eodem modo ac post verb. *accedit* de ben. IV, 29, 3, quod et ipsum hoc solo loco coni. *ut* secum habet.

Agendi verbum post sententiam ab illo aptam idem est ac vulgare *id agere,* ut de const. s. 9, 3 *non, ut vobis facere non liceat iniuriam, agimus;*

cavere, ut legis ep. 37, 2, *ab his cavetur . . ., ut ista vel inviti patiantur;*

committere, ut id est *sua culpa efficere,* de ben. II, 14, 5; ep. 116, 5; ad Pol. 11, 6;

consequi, ut n. qu. IV, praef. 5;

consequi, ne de ira II, 12, 4; de ben. VI, 9, 2;

curare, ne de tranqu. a., 7, 4;

curae habere, ut de const. s. 1, 1;

custodire ne de ira III, 39, 3 *primum, ut citius desinat, efficit, deinde custodit, ne recidat;*

dare, ut pro *permittere, ut* de ben. VI, 34, 1;

docere, ut ep. 16, 5 *haec docebit, ut deum sequaris.*

Post *efficiendi* verbum sententiam negatam, quae ab illo dependet scriptor et, ut magis consilium agentis significet, p. *ne,* et, ut effectum exprimat, v.v. *ut non* exorditur. Vid. de tranqu. an. 8, 4; de ben. VI, 2, 2 et 3; — ad M. de c. 20, 2.

exigere, ut, quod Draeg. § 390 unius Ciceronis esse contendit invenis de ot. 3, 5; *exigere, ne* ad Pol. 18, 5;

favere, ut de ben. II, 17, 5 *facimus autem plerumque ingratos et ut sint, favemus;* 17, 6;

instare, ut de ben. II, 21, 6;

praestare, ut ep. 14, 10 *tria deinde . . . praestanda sunt, ut vitentur,* quae insolentius dicta sunt pro his *praestari debet, ut tria vitentur;*

praestare, ne de ira III, 5, 3; de v. b. 1, 3.

prohibendi verbum simul infinitivum et p. *ne* secum habet de ben. V, 22, 2 *quemcunque potuero, peccare prohibebo, multo magis amicum et ne peccet, et ne . . .;*

providere, ne est de v. b. 25, 3;

obtinere, ut ep. 116, 2;

a *sperandi* verbo pendet p. *ut* semel, ad Pol. 18, 6 *ut quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum ulli nec concupiscendum est;* quamquam hic coniunctio *ut* propter v. concupiscendi posita esse videtur.

Denique pauca de timendi verbis dicenda sunt et vocibus similis sententiae. Post quae *ut* p. Seneca nullo loco admisit nisi ep. 98, 6, de quo paulo post agam.

Extimescendi verbum et cum substantivo et cum sententia a particula *ne* incipienti coniunctum est n. qu. VI, 2, 5 *ego extimescam . . . mare et ne . . . aestus superveniat.* Accedat locus, ubi p. *ne* soli voci *verecundia,* cui vis timendi inest, subiecta est, de ben. VII, 26, 3 *alium impensa deterret, alium turpis verecundia, ne, dum reddit, fateatur*

accepisse, alium .... Denique notio metus latet in v. *sollicitus,* a quo p. *ut* pendet ep. 98, 6 *qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant;* nam v. illam hoc loco non ita intellegi posse, ut ep. 120, 7, de studio et cura, apparet ex v.v. quae infra sequuntur *timor (rei) amittendae.*

Sed cur Opitzius (cf. p. 24) pro *ut* potius *ne* exspectet, quod legatur Iust. 2, 7 *Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reipublicae consuleret* ... et Liv. 35, 31, 1, ego non perspicio, cum apud Iustinum ac Livium p. *ne* prorsus ex usu vulgari interpretanda sit *dass,* hoc autem loco notio *dass nicht* requiratur.

c) Post adiectivum conexum cum verbo substantivo *esse* non posuit scriptor p.p. *ut* et *ne* nisi his locis: de ira I, 6, 2 *proximum est, ut* et de tranqu. a. 12, 1 *proximum ab his erit, ne* — quibus verbis ad novam sententiam transit; — nec post substantivum cum verbo *esse* posuit nisi ep. 29, 4 *periculum est, ne* et de ben. VI, 42, 1 *hoc* ... *sit ius, ut.* At quam cumulate Seneca infinitivum ut subiectum substantivo ut praedicato adiunxerit, cognoscas ex exemplis a Gloecknero coacervatis in quaest. Annaean. II, Halis Saxonum editis (dissert. 1877).

d) V.V. *ut ne* coniunctas ut in finalibus ita in sententiis loco substant. positis non invenies. Exemplum enim, quod Draeger in fine § 411 incertum esse dicit, de ben. III, 10, 1, optimo iure Gertzius ex cod. N ita correxit *an hoc inducimus, ut non demus beneficia sine teste?*

4. Iam non alienum esse videtur hoc loco de p.p. *quominus* et *quin,* quibus, cum propria significatio quodammodo neglegatur, sententiae subst. locum tenentes inducuntur, pauca exponere, praesertim quod, ut videbimus hui. comm. § 8, 2, p. *quin* nusquam est nostrum *ohne dass.*

a) P. quominus ita usurpatur

α) post verba prohibendi vel impediendi; a quibus significatione non differt v. vetandi, quod ut de ben. V, 6, 5; ep.

15, 6; 85, 34; de ben. VI, 30, 2 cum infinitivo coniunctum est, ita particulam „quominus“ secum habet ep. 95, 8 *multa illas* (audias *artes)* . . . *impediunt* . . . . *at haec quae artem vitae professa est, nulla re, quominus se exerceat, vetari potest;*

β) post talia verba, quibus non prorsus aperte notio prohibendi exprimatur, sed quasi involuta insit vel ex cohaerentia sententiarum accedat:

per illos non stabit de brev. v. 15, 1;
nullam moram faciam de prov. 5, 5;
nihil moror de ben. VI, 41, 2;
non tempero mihi n. qu. IV, 6, 1;

tenere de ben. III, 20, 1 *ut ne ab hoc quidem carcere teneri queat, quominus impetu suo utatur;*

deprecari de ben. III, 25 *nihilque se deprecari, quominus imperata peragerent;*

deesse ep. 117, 10 *unum enim illi deerat, quominus bonum esset;*

nocere n. qu. IV, 11, 3 *non multum illi commissurae et rimae earum nocent, quominus par sibi ab omni parte dicatur;*

propria denique coni. *quominus* significatio magis emergit de ben. V, 19, 1 *qui domum meam, quominus ruat, fulcit* et de ira II, 2, 1 *quorum quia nihil in nostra potestate est, nulla, quominus fiant, ratio persuadet.*

b) P. *quin* tam angustis finibus usum Seneca terminavit, ut non inveniatur nisi:

α) post verba dubitandi, uno loco ut iam Opitzius vidit, etiam ita, ut v. dubitandi sit nostrum *Bedenken tragen*, ep. 66, 51 *ego dubitem, quin magis laudem truncam illam* . . . *manum Mucii;*

β) post locutionem *sibi temperare* negatam, de ben. II, 29, 2; n. qu. III, 18, 7;

γ) post vv. *non multum afuit* semel, ep. 90, 24;

δ) post vv. *manifestum est*, quem usum idem Opitzius iam attigit (p. 24), de ben. VI, 7, 2 *nam si coactus aliquid*

boni fecit, quin nos non obliget, manifestius est, quam ut in hoc verba impendenda sint, ubi haud dubie scriptor, cum illud *quin* scriberet, de v. dubitandi cogitavit, cum ea, quae sequuntur, fere hanc sententiam habeant *omnino dubitari non potest.*

Ceterum post verba impediendi et similia cum voce neganti coniuncta, ut iam vidimus, scriptor praefert p. *quominus,* post v.v. *non potest fieri* semper scribit *ut non* pro *quin,* ut ep. 29, 2 *non potest fieri, ut non aliquando succedat multa temptanti;* de ira I, 14; n. qu. VI, 16, 3.

§ 7. De particulis sententiarum temporalium.

I. *Cum* p.

1. Cum indic. coniungit scriptor

a) in sententiis simpliciter temporalibus ita, ut *cum* sonet *als, wenn;* in quibus

α) sequitur indicativus praes., ut aliquid in universum dicatur, cuius rei unum exemplum afferam, in quo particulae *cum* in sent. prim. adverbium *sic* respondet pro usitato *tunc,* n. qu. IV, 2, 12 *sic quoque, cum se ripis continet Nilus per septena ostia in mare emittitur* (cf. ep. 118, 9 *ita demum, cum);*

β) indicativus fut., perf. praesentis, perf. hist., de quibus nihil commemoratione dignum est.

γ) Indic. imperf. nec in his sententiis invenitur, nec omnino post p. *cum* legi iam hic dico, nisi n. qu. IV, 5, 4, de quo loco cf. huius paragr. I, 1, b.

δ) Plusqupf. indicativus quattuor locis reperitur, quibus res identidem iterata indicatur, ep. 11, 4 *Sulla tunc erat violentissimus, cum faciem eius sanguis invaserat;* ep. 12, 18; n. qu. I, 16, 4; ep. 108, 14 (scito, praeter illos locos plusqu. indicativum omnino post p. *cum* non positum esse nisi ep. 122, 7, de quo loco vide huius paragraphi I, 1, b).

b) Indicativus saepius coniunctionem *cum* sequitur, quamquam ei simul opponendi vel concedendi vis inest, quod sequenti v. *tamen* vel antecedenti *etiam* apparet. Exempla praesto sunt de tranqu. a. 2, 1 *qui .... cum reliquias effugerunt, suspicionibus tamen inquietantur*; de ben. V, 3, 3 *solet enim fieri, ut etiam cum alter .... confossus est, alter leviter quidem saucius, pares exisse dicantur, quamvis alter videatur inferior*; n. qu. I, pr. 11; IV, pr. 4.

De hac p. *etiam cum* Naegler quoque scripsit (Pars. I, p. 10), qui post illas voces fere semper indic., cuius multa exempla congessit reperiri recte affirmat, neque vero coni. nisi temporis imperfecti velut ad M. de c. 14, 3; ad Helv. 5, 4; ep. 77, 8; 114, 6; quae res congruit cum iis, quae supra de imperf. usu dixi.

Praeterea hic duo loci mentione sunt digni, quibus, quamquam de notione temporali p. *cum* omnino cogitari nequit, tamen indic. traditur, et imperfecti quidem, cuius indic. alibi post p. *cum* non usurpari paullo ante diximus, n. qu. IV, 5, 4 *itaque cum pluvia futura erat, grando fit*; et plusquamperf. ep. 122, 7 *et cum illum contumeliae sexus eripuisse debuerat, ne aetas quidem eripiet*; hi indicativi coniug., quae dicitur, periphrasticae et verbi debendi explicandi sunt ex usu illo noto, quo horum verborum indic. poni solet, cum condicioni irreali diserte expressae vel mente addendae subiecta sunt.

c) Indic. adiungitur p. *cum* in sententiis, quibus indicetur vel, quo appareat, vel, quo efficiatur, quod sent. prim. dictum est, ut de v. b. 9, 4 *erras, cum interrogas, quid sit illud*; de clem. I, 4, 1; de ben. IV, 12, 1; n. qu. VII, 30, 2.

Ceterum hoc usu puto nobis remedium praeberi verborum, quae sunt de v. b. 19, 3, sanandorum. Cuius paragr. sententiae quomodo sint seiungendae et inter se referendae, viri docti dissident. Nam Kochius et Haasius post v. *evadentia* signum interrogationis, post v. *adigit* punctum posuerunt. Qui quomodo sententias ita divisas explicari velint, non intellego.

Iam duae restant rationes, quibus sententias inter se referre voluerunt, quarum altera Gertzii, altera omnium ante Haasium interpretum est. De quibus priusquam iudicem, liceat mihi explicare, quam sententiarum rationem huic paragr. inesse oporteat. Scriptor haud dubie dicere vult: Negatis quemquam eorum, qui sapientiae student, praestare, quae loquitur. Quid mirum, cum ingentia se praestituros esse promittant? Attamen hi philosophi, quamvis non ab omni parte perfecti multo minus cupiditatibus vexantur, quam ii, qui sua sponte se cupiditatibus dedunt, qui nullo modo vitia vitant.

Gertzius igitur putat, verba *Cum refigere . . . distrahuntur* unum esse enuntiatum et rem ita exponit: „Sententia *cum refigere . . . adigit* protasis est, cui reliqua *ad supplicium . . . . distrahuntur* ut apodis respondent, quamquam, quod ad rationem grammaticam pertinet, apodosis in *pendent* finiri videtur; et ea quidem loci ratio est, ut *cum . . . conentur* respondeant illa *ad supplicium . . . pendent* (in quibus *tamen* idem est quod *saltem, si nihil aliud* et pertinet ad illa *singulis stipitibus pendent),* verbis autem quae sequuntur *in quas . . . adigit* (quorum sententia in verbis *hi . . . animum advertunt* alia forma iteratur) respondeant cetera *hi . . . distrahuntur.*“

Sed primum quidem apparet, rationi, qua Gertzius sententias inter se respondere vult, structuram grammaticam totius enuntiati non satis congruere. Nec verba *ad supplicium . . . distrahuntur* omnia ut apodosis eis, quae antecedunt, respondere possunt, si sententiam spectamus. Nam quomodocumque v.v. *cum refigere . . . adigit,* explicantur, non perspicio, quae sententiarum ratio intercedat inter haec et ea, quae postea leguntur *hi, qui . . . distrahuntur.*

Sed ne separata quidem hac sententia a proximis v.v. *cum refigere . . . adigit* ut protasis eorum, quae sequuntur, *ad supplicium pendent* omni offensione carent. Nam p. *cum* si concessivam sententiam habere statuimus, protasis et apodosis haud bene inter se concinunt, cum nullam sententiam

praebeant haec: quamquam se a cupiditatibus liberare student, singulis tantum serviunt.

Et ne causam quidem p. *cum* indicari puto, quod Gertzium voluisse inde concludo, quod illud *tamen* apodosis idem esse dicit ac *saltem si nihil aliud.* Neque vero ullum huius significationis exemplum attulit, et si vocabulum *tamen* hanc sententiam haberet, certe ante v. *singulis* collocandum erat, quacum ex Gertzii explicatione arctissime cohaereat.

Si autem id, quod Gertzius vult, non est, sed simpliciter nostrum *dennoch,* ne particula *cum* quidem causa indicatur verborum *ad supplicium tamen . . . pendent.* Itaque apodosis et protasis, quas Gertzius statuit, neque causae ratione neque concessionis inter se conectendae sunt.

Alia causa est, cur in Gertzii explicatione haeream. Neque enim puto, Senecam duas sententias forma tam similes, quippe quae eodem modo incipiant a p. *cum,* cui sequitur coni., alteram iuxta alteram ita posuisse, ut haec ad sequentia, illa ad proxima pertineat.

Iam perscrutemur, praestetne verba *cum . . . adigit* cum iis, quae antecedunt, coniungi per figuram anaphorae, quod omnes ante Haasium interpretes proposuerunt. Voluerunt igitur Senecam et hac et illa sententia a p. *cum* exordiente philosophos, quod loquuntur, non praestantes excusare. Cui opinioni obstat, quod altera sententia ab altera prorsus aliena est. Illa enim significatur philosophos magna promittere, hac, eos laudabile aliquid perficere. Quare duae illae sententiae non ut causae ad v.v. *quid mirum . . . evadentia?* referendae sunt, sed verba *cum refigere . . . pendent* contraria ratione proximis addenda sunt.

Illud *tamen* igitur, quod ante vocem *acti* collocatum, apta significatione carere supra vidimus, in margine exaratum prave ante v. *acti* irrepsisse et ante verba *cum refigere . . .* recipiendum esse iudico. Omnes autem offensiones ut tollantur, coniunct. *conentur,* qui facile negligentia scribi potuerit accommadatus proximo coni. *loquantur,* mutandus est indica-

tivo ita, ut vertendum sit *dadurch dass*, *indem sie versuchen*. Hoc modo si verbis subvenimus, sententia, quam supra postulavimus, satis bene exprimi videtur.

2. Coniunctivus p. *cum* sequitur

a) ut simpliciter tempus significetur et quidem

α) coni. praesentis, sed nulla nisi secunda persona, cum subiectum non definita persona sed generale est, ut ep. 75, 4; n. qu. I, 5, 3. Nam ad Pol. 12, 5, ubi codd. exhibent alter (C) *quam*, alter (B) *quam* (puncto sub *m* littera posito) *illum gens sua coelo asserat*, nihil est, cur non pro Gertzii coniectura *cum* vulgo receptam *qua* probemus, ut diei illius qualitas describatur sententia relativa ex frequentissimo usu Senecae et aliorum scriptorum.

β) Imperfecti coniunctivis scripta Senecae abundant. Afferam nonnullos locos, ubi indicativus usitatior esset, sive quia in sententia prim. adverbium vel notio temporis inest, quo coni. *cum* respiciat, velut de brev. v. 13, 7 *ille se supra rerum naturam esse tunc credidit, cum tot miserorum hominum catervas beluis obiceret;* de const. s. 4, 2; ad Helv. 10, 10; de ben. V, 19, 7; n. qu. I, 17, 7; III, 30, 1; IV, 2, 24; de ira III, 20, 4 *(interim, cum);* ep. 39, 1 *(olim, cum)*; de ben. VI, 23, 3 *in prima illa constitutione, cum;* ep. 104, 30 *in illa rei publicae trepidatione, cum;* — sive quia res saepius repetita significatur, ut ep. 83, 25 *intolerabile erat, quod ebrius fiebat, cum haec faceret;* ep. 114, 6; ep. 27, 6.

γ) Plusquamp. coniunctivum saepissime scriptor usurpavit etiam ubi adverbio temporis praegresso vel alio modo tempus sent. secund. significatur, ut de ira III, 20, 4 *adhuc* . . . ., *cum;* de const. s. 2, 1 *nuper, cum;* de brev. v. 20, 3 *post annum nonagesimum, cum;* aut ubi res identidem iterata narratur, ut n. qu. IV, 6, 2 *hi cum signum dedissent* . . . ., *pro se quisque alius agnum immolabat* . . . . .; de ira III, 36, 1.

b) Coniunctivus dependet ex part. *cum* quasi instru-

mentali vi praedita ita, ut interpretanda sit *dadurch dass, indem*, et

α) coni. praes. uno loco codicibus traditur, ep. 102, 14 *cum dicant, claritatem esse laudem bonorum a bonis redditam, iam non ad vocem referunt, sed ad sententiam;* sed cum coni. praes. post p. *cum* sonantem *dadurch, damit dass* ullo exemplo ex aliis scriptoribus probari non possit, hoc loco indicat. substituendus est, praesertim cum paulo post in §§ 15 et 16 tres sententiae eiusdem fere generis indicativum habeant *cum dicimus . . ., cum tragicus ille ait . . ., cum . . . poeta ait . . . .* Formas autem verbi in syllabas *ant* et *unt* desinentes inter se confusas esse demonstratur exemplis a Gertzio in indice post. dialog. edit. adiuncto sub V, 2, b congestis. At

β) coniuntivo imperf. paucis locis via ac ratio indicatur, qua res sent. prim. dicta perficitur, ut de tranqu. a. 5, 2 *Socrates imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet;* n. qu. II, 42, 3 (cf. ad hanc rem Kuehneri gramm. § 202 adn. 2).

c) Coniuntivum saepissime legi post p. *cum* causalem vel adversativam vim habentem breviter commemoro.

3. Iam duo genera usus p. *cum* separatim tractanda videntur:

a) saepe legitur *cum interim*, et idem valet quod usitatius *cum interea*, a quo omnino se abstinuit scriptor.

Sed fere omnibus locis v.v. *cum interim* vis opponendi inest (notionem temporis habet de ira II, 33, 4) ita, ut coni. pro indic. magis aptus esse videatur; attamen bis tantum adversativam sententiarum rationem coniunctivo expressit. Cf. n. qu. I, pr., 14; ep. 1, 3 *ut . . . nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere;* ep. 81, 31; 101, 6; 104, 11; de prov. 1, 4; ad M. de c. 1, 7; 11, 4 et 5; de ben. III, 1. Coni. habes de brev. v. 3, 4 *velut ex pleno et abundanti perditis, cum interim fortasse ille ipse . . . dies ulti-*

mus sit, pro quo Wesenbergius contra cod. A nescio an prave indic. *est* substituit. Alio enim loco de ira II, 27, 2 coni. *derigatur*, cum in cod. A insit: *derigant* (superscripto compendio syllabae *ur*), certus ac verus esse videtur, quia dubium non est, quin v. *derigant* facilius ex *derigatur,* quam ex *derigitur* oriri potuerit.

b) *Cum*, quod dicitur inversum, modestissime Seneca usurpavit. Tribus enim locis inveni, cum praesente histor. coniunctum de tranqu. a. 14, 7, cum perf. hist. ep. 102, 2; de ira I, 18, 3 *cum subito apparuit.*

4. In fine huius § pauca de formula loquendi *cum-tum* exponam, quae in partitione fere tum usurpatur, si quis a re minoris momenti ad graviorem procedit. Quod Haasius (in praef. ad vol. III, p.p. 14, 15) dubitat, num hae particulae omnino apud Senecam legantur, errat. Quas cur scriptor vitaverit, ea re explicat, quod, „cum obsolevisset studium, quod Ciceronis aetate viguerat, vinciendi orationem amplioresque sententiarum ambitus collocatione, numero, particulis concinne et artificiose componendi instrumenta quoque eius artis cum arte ipsa abiecta sint.“ Sed de ben. II, 14, 2 haec traduntur *cum initia beneficiorum suorum spectare, tum etiam exitus decet*, nec minus certum est, quod legitur de clem. I, 19, 2 *praeterea insignis regi forma est dissimilisque ceteris cum magnitudine tum nitore.* Hoc enim loco optimus cod. N habet *cum-tum,* non vulgarem lectionem *tum-tum,* quae vel ideo improbanda est, quia nec Seneca usquam alibi ita locutus est nec inter viros doctos constat, num omnino v.v. *tum-tum* unquam aliam significationem praebeant nisi *modo-modo.* Haec autem, cum rex apium qui dicitur a Seneca, non modo magnitudine, modo nitore sed utique ceteras apes magnitudine vincat, sententiae ratione improbanda est.

Ceterum tam modesti usus harum p.p. causa haud dubie illa scribendi neglegentia est, quam Haasius bene exposuit.

Neque vero intellego, cur idem particulas illas ep. 66, 6 *ordinatissimus cum decore* (t)*um viribus* (sola litt. *t* illata)

et n. qu. VI, 22, 1 in verba scriptoris receptas in praef. ipse reiciendas dicat. Quamquam alter locus aliis de causis ab Haasio sanatus esse non videtur. Codices optimi Berolinensis (E) et Bambergensis (B) exhibent haec *causae, quorum diversae sunt,* quae scriptura apta sententia caret. Itaque Haasius, postquam Gronovius iam coniecit *causae quoque eorum diversae sunt,* scripsit *tum causae quoque eorum d. s.* Quae nobis displicebunt sententiarum cohaerentiam perscrutatis. Scriptor enim c. 21 generibus diversis motionis terrae enumeratis c. 22 progreditur ad diversas causas trium illorum generum excutiendas (cf. initium quoque c. 23), quod optime non partitione facit, quae p.p. *cum-tum* indicatur, sed ita, ut ex diversis generibus motionis terrae concludat causas et ipsas esse diversas.

Praeterea in partitione illa vox *sunt* bis posita molesta esse videtur. Et exempla, in quibus p. *cum* respondeant v.v. *tum quoque,* vix invenias. Quibus de causis ego scribendum esse puto *Cum dissimiles hi motus inter se sint (sint* iam Gronovius recepit), *causae quoque eorum diversae sunt.* Coni. *sint* facile librarii oculis aberrantibus ex sequenti indic. oriri poterat.

II. De particulis *postquam* et *posteaquam.*

1. Indic. praes. a p. *postquam* duobus locis dependet, de ben. III, 16, 2 *numquid iam ulla repudio erubescit, postquam illustres . . . feminae . . . computant* ita, ut interpretandum sit *ex quo,* et illo loco, quo scriptor diluvii imaginem ante oculos nostros proponit, n. qu. III, 27, 7, *postquam magis magisque nimbi ingruunt et congestae saeculis tabuerunt nives devolutus torrens . . . rapit silvas* ita, ut praes. ad futuram rem referendum sit.

2. In narratione coniunctioni *postquam* Seneca perf. historicum subiecit ad. M. de c. 1, 2; de ira III, 12, 5; ep. 90, 6; 120, 7.

3. Perfectum praesens invenitur de ben. I, 1, 4; III, 16, 3; ep. 13, 1; 42, 9; 86, 12; 52, 15 *damnum quidem fecisse philosophiam non erit dubium, postquam prostituta est;* ep. 90, 31; de ben. 16, 4.

4. Plusquamperf. nescio an casu scriptor cum sola p. *posteaquam*, ut perf. cum sola p. *postquam* coniunxit, nisi quod n. qu. III, 11, 5 in oratione infinita ex praesente apta scripsit *postea vero quam cultores perceperit, aquas quoque percepisse. Posteaquam* cum plusquamp. legis ep. 79, 16; 117, 7 *si extra est, posteaquam acciderat, recessit.*

5. Iam venio ad eum usum, quo tempus in sententia prim. definitur, quod unde incipiat, sent. secund. p. comparationis *quam* inducta demonstratur. Hunc usum Seneca ita restrinxit, ut nusquam in sent. prim. v. *post* cum accusativo vel ablativo coniunctam usurpaverit, sed aut ablativum cum adiect. *posterus* aut praepos. *intra* cum accus. scripserit. In eiusmodi autem sententiis, quamquam, si id, unde tempus sent. primaria indicatum initium capit, ad praeteritum tempus spectat, plusquamperfectum in sent. comparationis exspectatur, tamen habes perf. hist. ad. M. de c. 14, 2 *Bibulus . . . postero die quam geminum funus renuntiatum est, processit ad solita imperii officia;* ubi scriptor illud *renuntiatum est* simpliciter temporis praeteriti esse significat, non respecto tempore apodosis. At usitatius plusquamperf. legis ep. 51, 1 *(postero die, quam);* de tranqu. a. 11, 12 *quem populus romanus intra annum, quam timuerat, spectavit;* ep. 10, 13 *(intra paucissimas horas, quam);* ad Helv. 2, 5 *(intra vicesimum diem, quam).*

III. De particula *ubi*.

Hanc p. Seneca creberrime adhibet ad exordiendas sententias generales, rarissime ad res praeteritas narrandas neque unquam cum perf. hist. coniunctam. Neque ullo loco, ut significet, actionem sent. prim. statim post sent. secund. actionem accidere, v. *primum* adiecit.

Habet igitur haec coniunctio secum

1. indicativum

a) praesentis in sententiis universe dictis, ut interpretanda sit *wenn,* ut de ira III, 1, 1; 1, 5; 16, 2; de v. b. 1, 1; de tranqu. a. 2, 7; 7, 3 *quantum bonum est, ubi praeparata sunt pectora, in quae tuto secretum omne descendat;* de ben. II, 5, 3; n. qu. III, 26, 8; 27, 2; VI, 12, 1; 18, 2; 29, 1; adverbium temporis *tunc* antecedit de ot. 1, 1; de ben. I, 15, 3; addito *etiam* concessiva simul vis ei inest de ben. IV, 29, 2; de ira I, 17, 6; ep. 99, 7. Denique ad unam rem futuram spectat *ubi* cum praesente conexum n. qu. III, 27, 9 *quanta cum praecipitatione volvuntur, ubi per campestria fluens Rhenus . . . latissimas velut per angustum aquas implet?,* eodem modo ac *cum,* quod continuo sequitur, praeterea *ubi* 28, 2 cum praes. et perf. ac 28, 3 cum perf. conexum.

b) *Ubi* habet secum ind. perf. praesentis in generalibus sententiis de ira III, 16, 2 *periclitatur enim* (audias *potentia), ubi eos, qui separatim gemunt, communis metus iunxit;* de clem. I, 25, 4; 25, 5; de tranqu. a. 1, 11; 1, 12; 1, 14; n. qu. VI, 17, 2; 20, 2; 28, 2; 29, 3; quasi *ubi* propriam loci significationem habeat, in sent. primaria *illic* antecedit ep. 88, 34 *an obliviscatur* (sc. *animus) priorum et illic nosse se incipiat, ubi corpori abductus in sublime secessit* (cf. ep. 71, 29 *illic, si).*

c) Imperfectum in narratione alicuius rei, quae per aliquantum temporis producatur, inveni ep. 11, 1 *ubi se colligebat, verecundiam . . . . vix potuit excutere* neque vero usquam alibi.

d) Plusquamperf. ad significandum statum praegressae actionis absolutum Gertzius coniectura in verba scriptoris intulit de ira III, 28, 3 *multos iracundia mancos, multos debiles fecit, etiam ubi patientem nancta materiam erat (erat* in cod. abest). Quam scripturam veram ducemus, praesertim cum in proximis *saepe nimia vis caedentis . . . ner-*

vum in his, quos fregerat, dentibus, fixit, quae eandem temporis rationem habent, satis firmum fundamentum sit, quo nitatur, et cum similiter plusquamperf. legatur ep. 110, 14, *stupebam, ubi aliquid ex illis alio atque alio loco fulserat.*

e) Futurum posuit scriptor n. qu. II, 1, 5; ep. 42, 9 *hoc ergo tecum ipse versa non solum ubi de incremento agetur, sed etiam ubi de iactura;* ep. 113, 5; 116, 4.

2. Coniunctivum post part. *ubi* non inveni nisi

a) ep. 116, 3 *ubi nimium indulseris, vitium est;* 120, 14; *breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas,* quibus locis secunda persona generaliter intellegenda est,

b) ep. 120, 10 *vidimus, ubi tribuendum esset, plena manu dantem* . . ., ut res saepius repetita significetur.

IV. De particulis *ut, simul, simulatque* et similibus.

1. *Ut* p. Seneca non usus est nisi conexa cum perf. histor.; cf. de ben. III, 23, 2; ad M. de c. 1, 3; de ira III, 15, 1; lud. 5, 3; 7, 3; 13, 3; ep. 53, 5 *(ut primum).*

2. Ab altera parte coniunctioni *simul* nusquam perf. hist. subnexuit, sed aut perf. praesens in sententiis generaliter dictis, velut de brev. v. 3, 1; de clem. I, 14, 1 *simul deploratum est, ultima experitur;* n. qu. VI, 19, 2; ep. 121, 8; 76, 31; de ira I, 1, 6; III, 41, 2;

aut fut. exactum, uno loco, de ben. V, 12, 1 *et iam verius dices, simul te ad has latebras perduxero.*

3. *Simulatque* coni. semel legitur, ep. 70, 5 cum praesente generali coniuncta *simulatque occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se.*

4. Restat, ut paucas locutiones enumerem, quibus eadem temporum ratio inter duas actiones intercedens indicatur ac vulgaribus *simulac, cum primum* et cet.:

statim cum ep. 114, 6 *non statim cum haec legeris, hoc tibi occurret* . . .; et ep. 87, 25;

protinus, cum ep. 94, 19 *non protinus cum visum recepit, aliis quoque potest reddere;* et n. qu. IV, 6, 2.

V. De particulis *quando, quandocunque, quandoque.*

1. De p. *quando* nihil est mentione dignum.

2. *Quandocunque* legis n. qu. III, 29, 5 et de clem. I, 3, 4, ubi Gertzius recte ex cod. N scriptura *quo cunque* illud *quandocunque* eruit. Et eandem significationem continet

3. *quandoque* de tranqu. a. 11, 3; cuius p. cetera exempla Klammer (p. 50) contulit: de brev. 11, 2 *ideo, quandoque ultimus dies venerit, non cunctabitur sapiens ire ad mortem;* n. qu. III, 28, 7; ad Helv. 11, 6; de ben. IV, 8, 1; de v. b. 20, 5; quamquam his duobus locis dubitare licet, num *quandoque* idem sit quod et *quando.* Nam de ben. IV, 8, 1 verbis *vis . . . invicta* et *in ignem recessura* duae diversae causae exponuntur, cur deum Herculem nominari liceat, ita, ut illas duas causas non alteram alteri subici sed particula copulativa coniungi praestet. Quod si Klammer putat ultimo loco, de v. b. 20, 5, cum omnes adhortationes, quae antecedunt, sine vinculo coniunctionis alia post aliam collocatae sint, illam quoque sententiam exordientem a. v. *quandoque* proximis asyndetice adici, inde non multum efficitur. Nam primum a dicendi usu non est alienum, ultimum membrum in asyndetis p. *que* induci. (Tota autem sententia, non una vox p. *que* de ben. III, 6, 2 quoque superioribus adiungitur.) Deinde aliquantum interest inter ultimam illam sententiam et eas, quae antecedunt. Hae enim spectant ad singula officia quae in vita exsequenda sunt, illa, quae incipit a. v. *quandoque,* ad vitae honeste actae conscientiam, quae in morte ex officiis probe observatis quasi fructus capitur. Cui sententiarum discrimini ultima proximis p. *que* subnexa magis convenire videtur.

VI. De particulis *dum, donec, quoad.*

Harum p.p. apud Senecam talis est usus, ut voce *dum* et temporis articulus indicetur, quo actio sent. prim. finiatur, et temporis spatium, quo res sent. prim. significata geratur vel accidat, pp. *donec et quoad* nihil nisi tempus, quo actio sent. prim. desinat, definiatur.

Singula autem antequam perstringam, mentionem faciam adverbiorum temporis, quae in sent. prim. posita ad particulas illas referenda sint. Coni. *dum* enim nonnumquam respondet v. *interim* (cf. ep. 19, 12; de ira III, 43, 5; de brev. v. 20, 5; ad Helv. 10, 3), coni. *donec* autem v. *tamdiu*, ut de ben. V, 1, 5; VI, 32, 2; ep. 120, 7; 121, 8; *usque eo* ep. 70, 23; *totiens* ep. 121, 8.

1. *Dum* igitur particula

a) si est nostrum *bis*, ex usu communi aut cum ind., si simpliciter factum narratur, aut cum coni., si consilii notio exprimitur, coniuncta est;

b) si idem est ac nostrum *während* aut *so lange.*

α) Plerumque praesens secum habet, sive proprie positum, sive historicum, cuius exempla sunt de ira III, 12, 7; ad Helv. 19, 5. A quo usu quodammodo differunt nonnulli loci, quibus cum non de longiore temporis spatio cogitetur, pro p. *dum* p. *cum primum* substitui licere videatur, ut de ira III, 1, 3 *dum incipit, tota est,* de v. b. 7, 4 *dum incipit, spectat ad finem;* quae significatio etiam magis effertur anteposito adverbio *statim,* ut de ben. II, 25, 3 *qui gratus futurus est, statim dum accipit, de reddendo cogitet.*

Accedunt complures loci, ubi particula *dum* vi, ut ita dicam, instrumentali vel causali praedita interpretanda sit *indem, da,* cuius usus exempla alia habent praesens, ut de ira III, 16, 1 *laqueos fera, dum iactat, adstringit;* de v. b. 1, 4; de brev. v. 9, 1; ep. 95, 16; de ben. VI, 8, 4; alia praesens hist., de clem. I, 23, 1; ep. 79, 14; de ben. V, 16, 4; et

complures, ubi p. *dum* vi concedendi inclinet ad significationem v. *quamquam*, ut de ben. VI, 8, 1 *quidam nobis prosunt, dum nolunt, immo quia nolunt;* de ira III, 24, 4; quae significatio magis exprimitur antecedente v. *etiam* de ira III, 6, 6; de ben. VI, 23, 8 et alibi. Praeterea singulis locis post p. *dum* inveni

β) imperfectum, ad Pol. 15, 3 *hominem se esse, dum inter homines erat, sensit;*

γ) futurum, ad M. de c. 19, 1 *absentis enim afuturosque, dum vivent, non flemus;*

δ) perfectum, ep. 21, 6 *horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt.*

2. A p. *donec*, quam scriptor satis abundanter posuit,

a) indicativus nullius temporis pendet nisi

α) perf. praesentis, ut n. qu. III, 15, 5; 25, 12; 26, 6; VI, 9, 1; 9, 2; 9, 3; ep. 121, 8, multis aliis locis;

β) perf. hist., ut de ira III, 20, 4; de const. s. 2, 3; n. qu. VII, 29, 3; ep. 120, 7 et alibi;

b) coniunctivus, si ea exempla praetermittimus, in quibus coni. consilium vel expectatio designatur,

α) praesentis in personis vel rebus in universum describendis, velut ep. 113, 11 *omne animal, donec moriatur, id est quod coepit;* n. qu. I, 2, 2; 15, 2; VII, 18, 1 et saepius;

β) imperfecti ita, ut simpliciter dênotari videatur, quando res sent. prim. exposita desinat, de ben. VI, 32, 2 *gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset* . . . (nam oratione indirecta sublata inde a verbis *quae tamdiu* scriptor suam ipsius sententiam profert). Fortasse ideo scriptor coni. posuit, ut non tantum temporis punctum significaret, quo nescire desineret, sed etiam qualitatem temporis magis exprimeret et efferret.

3. *Quoad* apud Senecam semel legitur, n. qu. I, 5, 6 *standum est* (sc. stillis), *quoad id, quod imitantur, excipiant.*

4. Uno loco *quousque* est ep. 93, 9 *quousque vivimus, omnium rerum cognitione fructi sumus.*

VII. De particulis *antequam* et *priusquam*.

Harum p.p. alteram *antequam*, quae est exemplorum copia, praetulit scriptor alteri *priusquam*, quam aut nullis aut paucissimis locis invenies praeter hos: ad M. de c. 10, 7; n. qu. II, 26, 2; VI, 28, 3; de clem. I, 15, 4.

Ut ad singula transeam, post illas particulas

a) indicativum invenis

α) praesentis (cf. ep. 13, 5);

β) futuri, quod Draeger (§ 512, c) praeter scriptores antiquissimos usquam tradi negat, ep. 104, 21 *alter te docebit, si necesse erit, alter, antequam necesse erit,* quamquam concedo, scriptorem nisi ad duas illas sententias concinne inter se opponendas vix futurum admissurum fuisse;

γ) futuri exacti ad M. de c. 10, 7; ep. 123, 2; ep. 98, 5 *si, quid humanarum rerum varietas possit, cogitaverit, antequam senserit.*

δ) Perf. hist. exemplis omissis pauci loci mentione digni sunt, quibus perf. praesens sedem habet, de ben. V, 5, 4; n. qu. VI, 28, 3; deinde n. qu. III, 28, 6 in diluvii illius, quod saepius iam commemoravi, descriptione *nec antequam supra cacumina eorum, quos perfusurus est, montium crevit, devolvitur,* hoc quoque loco de re futura sermo est.

b) Coniunctivi

α) praesentis ea exempla, quae aut generalem sententiam continent aut consilii notionem, silentio praetereunda ratus unum locum profero, quo non p. *antequam*, ut in sententia generali, res repetita significatur, sed unius rei continuus status depingitur, ep. 104, 15 *Maeander saepe in vicinum alveo suo, antequam sibi influat, flectitur;* alterum deinde, ubi coni. ad futur. tempus pertinet, n. qu. VII, 11, 1 *quas antequam exponere incipiam* . . . tertium denique talem, ut actio sententiae temporalis non eveniat, sed actione sent. prim. prohibeatur, de ben. V, 23, 2 *quare desperas, antequam temptes.*

β) Imperfecti coni. neglectis iis locis, quibus consilii notio inest, duo usus genera distinguenda sunt. Aut enim sent. temporali simpliciter tempus circumscribitur, ante quod actio sententiae prim. fit, velut ad M. de c. 19, 5; de clem. I, 15, 4; de ben. II, 27, 1, quae exempla in apodosi perf. hist. habent; aut actio prim. sent. finita est, antequam actio secundariae omnino fieri possit; exempla praesto sunt ep. 23, 11; de brev. v. 20, 1; ad M. de c. 20, 1.

§ 8. De particula *ut* consecutiva.

1. Consecutivae p. *ut*, cui in sententia primar. praeter v.v. *ita, sic, adeo* respondent interdum *usque eo* (ep. 15, 7), *in tantum* (ep. 14, 11; n. qu. III, 24, 1), unum exemplum hic sedem habeat in quo *ut* p. subdita est verbo sufficiendi, cuius usus vix apud ullum scriptorem exemplum praesto est, de ben. II, 34, 2 *quia non sufficimus, ut singulis singula adsignemus, . . mutuamur.*

2. Saepius id, quod sententia prim. affirmatur, restringitur consecutionis sent., quae exorditur aut a verbis *ita, ut* (cf. de ben. VI, 26, 2; de v. b. 22, 2) aut a sola v. *ut* cf. de ben. I, 11, 4 *(sed, ut)*; II, 15, 1; 35, 5 *(non, ut)*.

3. *Ut non* post sententias et aientes et negantes idem est ac nostrum *ohne dass;* exemplo sint de v. b. 7, 1; de ben. II, 4, 3; V, 17, 4 *quotus quisque uxoris optimae mortem timet, ut non et computet;* ep. 94, 34. *Quin* autem p., ut usus eius omnino satis parcus est, ita sententiae neganti subditam, ut illam significationem contineat, frustra quaeres. Sed eadem sententiarum ratio exprimitur vocibus *nisi ut* de clem. I, 8, 5 *loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quae ubique sunt gentes, excipiant, irasci non potes, nisi ut omnia tremant, quia neminem adfliges, nisi ut, quidquid circa fuerit, quatiatur;* de ben. II, 11, 2; ep. 104, 33.

4. Denique commemoro, structuram illam orationis, quae efficitur, cum locutionem *tantum abest* bis coniunctio *ut* sequitur ita, ut ab altera pendeat sententia loco substantivi posita, ab altera consecutionis, prorsus esse repudiatam ab hoc scriptore. At uno loco rem ita instituit, ut sententiam, quam *ut* consecutivae p. subiungi exspectes, nullo vinculo cum sequentibus copulatam tanquam primariam in initio totius structurae collocaverit, ep. 90, 45 *parcebantque adhuc etiam mutis animalibus: tantum aberat, ut homo hominem non iratus, non timens, tantum spectaturus occideret.* Ceteris autem locis, ubi illius usus occasio data erat, brevius scripsit *adeo* in sententia negante, cui simplex *ut* consec. subiciatur, velut n. qu. VII, 32, 4 *adeo nihil ex his invenitur, quae parum investigata antiqui reliquerunt, ut multa, quae inventa erant, oblitterentur;* de ben. I, 1, 13; IV, 12, 2; 15, 4; de clem. I, 10, 3; de const. s. 9, 2; de v. b. 1, 1; ep. 24, 11; 58, 28; 59, 2; 85, 34; 121, 7; 124, 12; *ut contra* sequitur n. qu. IV, 2, 10; VI, 2, 7; de ben. IV, 1, 2; *ut etiam* de ben. II, 11, 3; de ben. IV, 20, 2; uno denique loco, de ot. 1, 4 legitur *usque eo nihil, ut.*

§ 9. De particulis causalibus *quod, quia, quoniam, quando.*

1. Particulam *quia* miro quodam eius amore captum Senecam p. *quod* idem significanti valde praetulisse apparet cum de ben. l. VII, in quo 24 locis *quia*, nusquam *quod* inveniatur, tum usu formulae *non quia-sed quia,* de qua infra agam. Ceterum harum quoque p.p. vis saepius adverbiis aliisque vocibus in sent. prim. positis significatur: de tranqu. 11, 5 *(eo magis);* ep. 23, 2 *(illo magis);* ep. 91, 13 *(ob hoc);* de ben. I, 1, 3 *(ob id ipsum);* de brev. v. 7, 5 *(ideo,* quod saepissime ita legitur; at nunquam *idcirco* aut *propterea,* quae omnino vitavit); cf. n. qu. II, 38, 4 *hoc prodest, quia fati*

magister est; n. qu. I, 3, 1 *sic enim formam arcus discoloris efficiunt, quia aliae partes in nubibus tumidiores sunt . . .;* — de v. b. 7, 1 et 51, 1 *(videlicet, quia)*.

2. Venio ad illas formulas loquendi *non quod, non quia, non quo . . ., sed quod, sed quia,* quibus duae sententiae causales inducuntur, quarum altera sola in ea, de qua agitur, re valere dicitur. Quas dicendi formulas Seneca repudiavit praeter hanc unam *non quia-sed quia.*

In hac autem, cuius magna est frequentia usurpanda valde extra fines eius usus vagatus, qui a scriptoribus latinis observari solet, longe plurimis locis in duabus sententiis, quae a p. quia initium capiunt, indic. modum admisit et eum quidem non solum iis locis, quibus sententia part. *non quia* inducta res significetur per se vera, sed quam scriptor causam habendam esse neget, ita, ut indicativus offensione careat, sed multis etiam talibus locis, quibus rem prima sent. causali expressam ne per se quidem veram esse efficiatur sententiarum cohaerentia. Cf. prioris generis ep. 81, 20 *gratus sum, non quia expedit, sed quia iuvat;* 78, 6; 87, 26; n. qu. I, pr., 6; ep. 110, 15 *contempsi divitias, non quia supervacuae, sed quia pusillae sunt,* ubi in altera sententia verbum ex altera audiendum est, sicut de ben. IV, 16, 1; alterius generis sint exempla ep. 123, 6 *multa quam supervacua essent, non intelleximus, nisi deesse coeperunt; utebamur enim illis, non quia debebamus, sed quia habebamus;* ep. 58, 28; 87, 31; 88, 20; 92, 11; ad Helv. 20, 1;*) de const. s. 12, 3; de ben. III, 7, 3; IV, 26, 2; 32, 2; 36, 1; V. 19, 6; VI, 4, 4; n. qu. I, pr., 16; V, 17, 1; VI, 2, 9. Indicativus ex altera sententia cogitandus est de ben. VI, 4, 1 *multa sunt, propter quae beneficium debere desinimus, non quia ablatum, sed quia corruptum est;* de ira II, 25, 3.

Exemplorum numerus augeatur locis, quibus pro v.v. *sed quia* legatur *ob* praepositio ad causam (cf. ep. 86, 1) vel

*) Cf. Gertzii stud. crit. p.p. 162 et 163.

in ad eam rem, quae intenditur, significandam (cf. de v. b. 26, 5 *quem animus vitiorum immunis increpare alios, non quia odit, sed in remedium iubet)* vel immutata orationis structura vera causa adiungatur, ut ep. 106, 1 *Tardius rescribo ad epistulas tuas, non quia districtus occupationibus sum . . . — quid ergo fuit quare . . .? veniebat in contextum operis mei.*

Coniunctivum autem modum in eiusmodi sententiis Seneca quater vel ter posuit de ot. III, 1; ep. 122, 14; n. qu. V, 17, 1, qui locus ideo quoque mentione dignus est, quod vera causa p. *quoniam* subiungitur *Placet autem duodecim ventos esse, non quia ubique tot sint (quosdam enim inclinatio terrarum excludit), sed quoniam nusquam plures sunt.* At cum continuo sequatur periodus proximae prorsus cognata, quae bis indicativum habeat, haud dubie *sunt* legendum est pro *sint.* Quartus locus est de ira I, 6, 4 *non quia delectetur . . ., sed ut . . . sint.*

Hanc exemplorum seriem si perlustraverimus, ep. 26, 4 *et quis exitus est melior, quam in finem suum natura solvente dilabi? non quia aliquid mali* (sit) *ictus et e vita repentinus excessus, sed quia lenis haec est via, subduci,* illud *sit,* quod Haasius ex sua coniectura in verba scriptoris intulit, certe in dubitationem vocare licebit. Et comparato loco, quem supra laudavi, de ben. VI, 4, 1, ubi eodem modo, quo hic ex v. *est* in prim. sent. causali mente verbum addendum est, putabimus verba scriptoris hoc loco integra tradita esse.

3. Particula *quoniam,* cuius significatio causalis interdum effertur magis addita voce *quidem* (cf. de prov. 1, 5; ep. 26, 1) scriptorem aut causam inter eos, ad quos loquitur, notam afferre aut ad novam partem disputationis transire (cf. de const. s. 10, 1) quasi praetereundo commemoro.

Sed duos locos, quos Gertzius quoque attigit (Stud. crit. p. 124 et 125 adnot.), affero, de v. b. 5, 1 *potest beatus dici, qui nec cupit nec timet beneficio rationis (quoniam et saxa*

timore et tristitia carent nec minus pecudes, non ideo tamen quisquam felicia dixerit, quibus non est felicitas intellectus..) — quo loco p. *quoniam* non causa totius proximae sententiae sed causa affertur, cur illa *beneficio rationis* definitioni adiciantur. Et similis naturae est n. qu. IV, 13, 3.

4. *Quando* coniunctione, ut *quoniam* causa, quae inter omnes constat, significatur de tranqu. a. 15, 3; ep. 66, 8; de brev. v. 7, 3; ad Helv. 13, 6.

§ 10. De particulis finalibus.

1. Accedit interdum coniunctioni finali plus gravitatis vocibus praegressis *ideo* (cf. de tranqu. a. 4, 4; de ben. I, 11, 3); *in hoc* (cf. ad. M. de c. 15, 1; ep. 66, 3); *ob hoc* (ep. 35, 1); *ecce**) de ben. IV, 36, 1 *damno castigabo promittentis temeritatem: ecce, ut doleat tibi, ut postea consideratius loquaris.*

2. P. *quo* cum comparativo gradu coniunctae multa sunt exempla.

3. *Ut ne* p. finalis nullum exstat vestigium.

4. *Nec ubi* uno loco idem est ac *ne alicubi*, lud. 13, 5 *quos Claudius omnes, necubi inparatus esset, praemiserat.*

5. Haud alienum erit huius paragraphi finem facere particula *nedum* tractanda, quae proprie interpretanda sit *dass ja nicht.* Seneca igitur nullo loco voci *nedum,* duobus locis vocibus *nedum ut* coniunctivum subiunxit post sententiam primariam negatam, de brev. v. 7, 4 *plures tamen ex his nondum se scire confessi vita abierunt, nedum ut isti sciant* et de const. s. 8, 3; ceteris autem locis, quibus sententia primaria vocem negantem continet, ex illius verbo post

*) Huius voculae apud Senecam frequens est usus et ante pronomina demostr. (n. qu. VI, 25, 3; ep. 58, 7; 15, 12) et ante substantiva ep. 9, 19 *ecce vir fortis ac strenuus!;* 15, 10; 53, 12; 49, 1; 82, 7.

nedum verbum mente addendum est, ut ep. 99, 23 *nemo enim libenter tristi conversatur, nedum tristitiae;* de const. s. 3, 1; 5, 5; de ben. VI, 37, 3; ad Helv. 4, 1.

Antecedente autem sententia aiente item semper post *nedum* verbum audiendum est, cf. n. qu. VII, 9, 4; ep. 51, 7; 91, 1; 57, 3 *qui multum ab homine tolerabili nedum a perfecto absum.*

§ 11. De particulis sententiarum condicionalium.

I. Priusquam ad singulas harum sententiarum formas transeo, nonnulla in universum dicenda sunt.

1. Scriptor, cum aliam condicionem alii, quae antea legitur, aut aliquo modo latet, opponit, fere semper illam simplici *si* subnectit, velut de tranqu. a. 11, 3; de const. s. 3, 2; multis aliis locis. Uno loco *sin* p. respondet proximae *si* ad Helv. 4, 2 *si potuero, manifestum faciam, sin id credi non potuerit, at ego mihi ipsi magis placebo;* altero loco antecedenti *quotiens,* de ben. II, 10, 4.

2. *Ni* particulae nullum est exemplum in omnibus scriptis Senecae nisi ep. 14, 3 *ni fallor.* De clem. I, 11, 4 enim, ubi *ni quod* codicibus traditur, vulgo *nisi quod* iure ac merito substitutum est. Quod Gertzius (conf. adnot. crit.) praeter hanc, quam ipse recepit, scripturam aliam *estne quod* . . . putat commendari, quia sic utrique interrogationi, quae antecedit, respondeatur, ego non video, cur sententia, quae incipit a v.v. *nisi quod* ad utramque interrogationem referri nequeat ut subiectum. Particula interrog. *ne* autem, quippe qua quid respondendum sit, non distincte significetur, satis languida hoc loco videtur esse, cum scriptor certum ac indubitatum esse velit, in saevitia ac clementia summam verti discriminis, quod est inter tyrannum et regem. Quae

sententia optime exprimitur v.v. *nisi quod* post interrogationes positis.

Ob illum parcum igitur p. *ni* usum dubitaverim, num de brev. v. 17, 6 pro manca cod. A scriptura *ne* scribendum sit *ni* pro *nisi*.

3. *Nisi si* loco simplicis *nisi* septies admisit Seneca et semper quidem sine dissimulantiae significatione; de ot. 3, 2 *non accedet ad rem publicam sapiens, nisi si quid intervenerit;* ter ante *quid* pronomen de tranqu. a. 13, 2; praeterea de ben. IV, 35, 1; ante aliam vocem de ben. II, 15, 1 et ep. 74, 34.

4. Alias quoque coniunctiones voci *nisi* adiunxit; cf. praeter *nisi quod* (de ben. I, 10, 4) *nisi* dum (ep. 91, 16 et n. qu. II, 54, 3); *nisi ut* commemoravi (§ 8, 3).

5. De v.v. *non-nisi* coniunctis nihil nisi paucos locos affero, ubi contra usum vulgarem, quo aliis vocibus seiunguntur, nullo verbo separatae legantur: de ira III, 39, 4 *quaedam non nisi decepta sanantur;* de prov. 5, 1; ep. 22, 1; 117, 9; n. qu. I, 10; de clem. I, 11, 4.

6. Particulae *si non* et *si minus*, quibus condicio proxima aiens negando repetitur, ita usu distinguuntur, ut illa non legatur nisi cum suo verbo finito coniuncta praeter unum locum ep. 42, 9 *si diu illud habuisti, perdis, postquam satiatus es, si non diu, perdis, antequam adsuescas,* ubi si Seneca secundum suam consuetudinem *si minus diu* scripsisset, sine dubio omnes *minus* particulam non cum *si* coniunctione sed cum *diu* adverbio legendo cuniunxissent; hunc autem errorem cum cavere vellet Seneca, coactus erat *si non* scribere. *Si minus* non ponitur nisi omni additamento carens, cum verbum finitum ex proxima sententia condicionali audiendum sit, velut de v. b. 27, 1 *si potestis bonos laudate, si minus, transite;* de otio 3, 5; ad M. de c. 1, 5; de clem. I, 20, 2. Altera autem sententia condicionalis antea non legitur, quo referatur *si minus*, ep. 120, 22 *effice, ut possis laudari, si minus, ut adgnosci* et ep. 13, 12.

7. Adverbiorum aliarumque vocum, quae in sententia primaria collocata spectent ad p. *si*, satis magna est varietas. Legis enim:

tunc ep. 110, 12; de ben. IV, 35, 2;

ita de clem. I, 3, 3; n. qu. I, pr., 11; ep. 98, 1;

ita demum ad Pol. 18, 7; de v. b. 15, 3 *libertatemque illam ita demum, si nihil se pretiosius novit, invictam;* de const. s. 11, 3; de ben. II, 17, 5;

sic ep. 105, 2;

sic demum n. qu. I, pr., 13 *sic demum magnitudo sua illi redditur, si solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet;**)

alioqui de ben. I, 15, 6 *alioqui pecunia ingens, si non ratione nec recta ratione donata est, non magis beneficium est quam thesaurus;* ep. 11, 6; 52, 14;

nec aliter de const. s. 9, 2 *nec aliter careret ira, nisi et iniuria;*

illic ep. 71, 29 *ubi illud malum verum est? illic scilicet, si ista animum detrahunt . . .;*

ideo ep. 66, 23; n. qu. V, 18, 5;

ob hoc ep. 98, 5;

hactenus ep. 88, 1 *meritoria artificia sunt, hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent.*

8. Ut sent. prim. condicionali sent. restringatur et imminuatur, scriptor largiter usus est v.v. *si modo* (cf. ep. 45, 3; 99, 5).

Si quidem autem p. apud Senecam non legitur.

Si tamen semel ad restringendam sententiam adhibuit ep. 94, 31 *nancta vero praesidium et adiuta praeceptis evalescit, si tamen illam diutina pestis non infecit nec enecuit.*

---

*) De voce *demum,* quae ad significationem vocis *tantum* inclinet, cf. etiam n. qu. I, 2, 4 *nam formae crassis demum spissisque corporibus inprimi solent;* ep 123, 12; 124, 14; ad Pol. 13, 4.

9. Eandem restringendi vim, sed ita ut res, qua sententiae primariae fines definiuntur, postuletur vel desideretur, habent particulae *dummodo, dum* (cf. de ben. IV, 13, 2), *modo* et haec quidem nusquam primo sententiae loco posita, sed semper post primam vocem, velut de ira III, 42, 1 *poterimus autem, adnitamur modo;* ep. 36, 3; 98, 14; 104, 34; eodem modo sequitur coniunctivus vocem *tantum* ep. 78, 25 *sed omnia ista facile perferemus . . . . : tantum mortem desinamus horrere;* ep. 38, 2; ad Helv. 18, 6; de ben. IV, 37, 1.

Accedant pauci loci, quibus p.p. *tantum* et *modo* imperativus subiungatur; ep. 119, 12 *omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis satisfiat aut parvo: tantum miscere vitia desideriis noli;* ep. 31, 11 *subsilire ex angulo licet, exsurge modo;* de ira II, 13, 2.

Coni. autem ex proximo coni. ad *dum* p. audiendus est de ira III, 41, 1 *nil in famam laboremus, sequatur vel mala, dum bene merentis.*

Denique ea re a vulgari usu deflectit, quod in eiusmodi sententiis negatis, quarum natura p. *ne* exspectetur, tamen particulam *non* solam usurpat, ut ep. 56, 5 *omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuriaque non dissideant nec altera alteram vexet;* de tranqu. a. 14, 1; de ben. V, 2, 1; ad Helv. 8, 6.

10. In locum sententiae primariae participium futuri, ut eius usus est frequentissimus apud Senecam, saepissime succedit et ita quidem, ut in enuntiato condicionali legatur:

a) futurum, ut de v. b. 1, 1; ep. 115, 10;

b) fut. exactum, ut ep. 98, 5 *sic . . . . tanquam non futurus ob hoc miserior, si habere desierit;* ep. 52, 3; de v. b. 13, 4; de clem. I, 1, 1;

c) coni. praesentis, de clem. I, 4, 1; ep. 65, 2 *materia iacet iners, . . . cessatura, si nemo moveat;* n. qu. I, pr., 4; ep. 23, 6;

d) coni. imperf. de clem. I, 3, 5; n. qu. VII, 16, 1; ep. 3, 4; 95, 53; quibus locis ab Opitzio (p. 23) citatis addo de otio 5, 3 *(natura) perditura fructum sui, si tam magna, tam clara . . . solitudini ostenderet;*

e) coni. plusquamperf. de ira III, 16, 3; ad M. de c. 24, 2; 26, 2; ad Helv. 10, 9; de clem. I, 3, 5; n. qu. VII, 3, 3; ep. 19, 9; 104, 21; quae exempla ibidem Op. congessit. Accedant de ben. III, 12, 3; 35, 5 *pater filio vitam dedit perituram, nisi multa accessissent, quae illam tuerentur;* ep. 102, 1. Postremo scito

11. post sententiam prim., in qua notio quaedam dubitationis vel exspectationis est, part. *si* nusquam ita usurpari, ut valeat *ob etwa,* non magis quam in interrogationibus indirectis (cf. Naegleri P. II, p. 30).

II. De singulis sent. condic. generibus.

In his sent. invenitur

1. indicativus

a) praesentis, cui in sent. prim. praeter ind. praes.

α) futurum respondet ita, ut praes. enuntiati cond. et ipsum ad futurum tempus pertineat, ut de ira III, 23, 7 *si iubes, Caesar, statim illo domo mea interdicam;* de tranqu. 3, 7; de const. s. 8, 3; de ben. I, 12, 1; II, 17, 3; 25, 2; 18, 7; III, 37, 4; IV, 18, 4; ep. 22, 12; 75, 6; 75, 15; 81, 2; 84, 13; 85, 15; 92, 2; 94, 10; 95, 55. Etiam duae periodi, quae natura inter se similes sunt, forma ita discrepant, ut alterius et in protasi et in apodosi futurum legatur, alterius in illa praesens, in hac futurum scriptum sit, de otio 3, 3; de ben. IV, 36, 2 et 1; n. qu. III, 25, 5 *si aqua gravior est . . ., leviorem rem feret . . . at si aquae et eius rei, quam contra pensabis, par pondus erit, nec pessum ibit nec exstabit;* ep. 85, 9; 95, 38; cf. etiam de ira I, 16, 5.

Quid quod in una eademque sent. cond. praesens et futurum coniuncta sunt p. *si* per anaphoram repitita, ut n. qu.

II, 59, 10 *Male scilicet actum erit tecum, si sensum mortis tuae celeritas infinita praeveniet, si mors tua procuratur, si . . . es* et ep. 101, 9*).

β) Post praesens habes in apodosi aliquoties perfectum alibi rarius inventum, n. qu. IV, pr., 18 *si vera sunt, coram magno teste laudatus es, si falsa, derisus es;* de ben. I, 1, 10; ep. 59, 14; 63, 10; 65, 11; 66, 9; 66, 17.

γ) Per breviloquentiam quandam praesenti subicitur imperf. lud. 7, 4 *si memoria repetis, ego eram, qui . . .*

δ) Quod in sent. prim. coni. adhort. (cf. de ira III, 8, 7) vel coni. in interrog. legitur (cf. de ben. V, 7, 3; 7, 5) nihil novi id habet.

ε) Singularis vero est usus imperfecti coni., qui legitur n. qu. V, 11, 2 *adice nunc, quod si causa illis flatus est diei spatium ac longitudo, etiam ante solstitium flarent . . . .* Quae sententiarum structura, nisi forte illud *est* depravatione ex voce *esset* ortum esse iudicas, eodem modo explicanda est ac praeteritum tempus in exemplis a Draegero (§ 548, B, f et 550, e) allatis, Lucr. 1, 645; Cic pro Lig. § 25; div. 2, 8, 20 *si enim fatum fuit classes . . . interire, etiamsi . . ., tamen interissent*, ita, ut falsa sententia alius, quae protasi ut vera ponitur, apodosi refellatur, cum ex protasi aliquid concluditur, quod a re vera abhorreat.

b) Perfecti indicativo in enuntiato condic. usurpato, cui nonnumquam praesentia adduntur (cf. de ira III, 10, 3; 29,

*) Ceterum ne tempora tam libere variata, quae praestantissimorum codd auctoritate commendantur, in suspicionem vocanda esse tibi videantur, affero ep 110, 17 et alios locos, ubi in sententia primaria similem temporum varietatem habes, n. qu. II. 1, 4; Ep 81, 26; cum quibus compares ep. 78, 20; quorum locorum duobus ep. 110, 17 et 78, 20 Fickertus cum temporum varietatem reliquerit, ceteris iniuria futurum intulisse videtur. Sane quidem interdum haec formarum discrepantia litteris *i* et *e* permutatis facile deleri potest, sed audaciore ac minus probabili mutatione opus est n. qu. II, 59, 10 (quem l. laudavi); ep. 78, 20.

1), in sent. prim. praeter praesens, perfectum (cf. de const. s. 7, 2; ep. 15, 3; n. qu. IV, 2, 9), coni. praes. in interrog. positum (cf. de ben. V, 7, 3) respondet etiam futurum. Huius usus apud alios scriptores satis rari in scriptis philosophi non pauca exempla exstant; in quibus perfectum locum tenet fut. ex., velut de ben. VII, 19, 5; ep. 17, 9 *si necessitates ultimae inciderunt, iamdudum exiet e vita et molestus sibi esse desinet. Si vero exiguum erit* . . . (Fickertus contra optimos codd. P. p. scripsit *inciderint,* quo opus non esse exemplis a me allatis satis apparet); ep. 56, 11; 85, 12; 92, 26; de ira I, 19, 6; n. qu. I, 2, 5; 6, 1; 13, 3; de ira III, 40, 4.

c) Imperfecti indicativus post p. *si* ter invenitur, n. qu. IV, 6, 3 ad consuetutinem describendam, cum in apodosi idem imperf. legatur, ep. 99, 5 *adquiescamus iis, quae iam hausimus, si modo non perforato animo hauriebamus;* ad Pol. 6, 3 *si volebas tibi omnia licere, ne convertisses in te ora omnium.* Neque vero hoc loco, ut iis, quos attigi sub 1, a, ε, aliquid, quod protasi scriptor verum esse finxit, apodosi refutatur ac diluitur, sed coni. *convertisses* est modus optativus.

d) Plusquamp. indic. quater p. *si* adiunctus est, cum in sent. prim. aut perfectum sit, ut de ben. VII, 11, 2 et ep. 107, 4, aut praesens, ut de ben. VI, 36, 2 *nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum, ut finiret, aluit nihil Deciis, quod morte patriam servaverunt, si prius optaverant;* ubi temporum *aluit* et *optaverant* dissimilitudinem inde natam esse apparet, quod verbis *quod servaverunt* diserte tempus praeteritum indicatur, ante quod scriptor illos optavisse fingit; denique inspicias n. qu. I, 17, 7 *cum antiqui illi viri . . . viverent, satis nitidi, si . . . eluerant;* ubi v.v. *satis nitidi* dicta sunt pro *qui satis nitidi sibi videbantur.*

e) Sententiarum, quae in protasi futurum vel fut. ex. habent eas praetermittendas ratus, quae in apodosi fut. habent, haec commemoro:

α) Post futurum legitur in sent. prim. coni. adhort. de brev. v. 20, 1; ep. 12, 9; coni. in interrogatione ep. 98, 16.

β) Imperativus ep. 80, 10.

γ) Post futurum exactum praesentis indicativus (post simplex futurum non inveni, at post formam coni. periphrasticae ep. 94, 10). Illius autem usus primum talia exempla afferam, ut huic structurae in altera periodo natura aequali ad eandem temporis rationem denotandam futurum ex. et fut. ex usu vulgari adhibita respondeant, ep. 41, 3; ep. 78, 13 *levis est dolor, si nihil illi opinio adiecerit: contra si exhortari te coeperis . . . levem illum . . . facies;* ad Marc. 12, 2; idem fere invenis de ben. V, 16, 1 et 2, sed de re praeterita, quam scriptor ut futuram quasi ante oculos nostros proposuit;*) legis enim *Ingratus Catilina; parum est illi capere patriam, nisi verterit* (cf. § 2). Talis temporum varietas non inest in n. qu. II, 26, 2 *si concessero humidam esse nubem . . . ., nihil tamen prohibet ignem ex humido quoque educi;* ep. 51, 8; de ben. VI, 14, 3 *(possum);* n. qu. I, 5, 13 *(potest);* n. qu. II, 13, 2; ep. 78, 21; 74, 34. N. qu. I, 13, 2 autem *nam si infra solem nubes fuerit et propior, ab eo dissipatur,* v. *fuerit* prorsus futuri simplicis significationem habet.**)

δ) Fut. ex. in sent. condic., perfectum praesens in sent. primar. positum est de ben. VI, 28, 2 *quantum existimas tormentum, etiam si accepero, eguisse, etiamsi servatus fuero, trepidasse;* quo loco apparet, actiones, quae v.v. *eguisse, trepidasse* indicantur, ante actionem sent. secund. significatam

*) Ceterum eodem modo res praeterita tanquam futura describitur n. qu. V, 18, 10 *sic Persarum rex . . . in Graeciam traici(e)t,* (litteram *e* Haasius recte intulit), *quam exercitus non vincet, cum impleverit; sic Alexander . . . volet quaerere . . . . et indignabitur . . . .;* de prov. 3, 13; de brev. v. 17, 6.

**) De hoc usu cf. ad M. de c. 1, 3 *vigebitque memoria, quamdiu in pretio fuerit Romana cognosci, quamdiu quisquam erit, qui . . .;* de v. b. 23, 2; 24, 2; de tranqu. a. 10, 1; de ben. I, 9, 2; II, 21, 2; V, 19, 8; 22, 2; VII, 5, 2.

iam desiisse; ad Helv. 5 *Bona condicione geniti sumus, si eam non deseruerimus;* ubi illud *geniti sumus* ante tempus sent. sec. cogitandum est, sed num bona condicione geniti simus, futuro tempore apparere dicitur. Duobus igitur his locis actio sent. primariae ante secundariae iam absoluta ac perfecta est. Quae temporis ratio non inest quarto loco ep. 95, 54 *In supervacuum praecepta iactavimus, nisi illud praecesserit, qualem de quacunque re habere debeamus opinionem.* Quod si reputaverimus et inspexerimus § 55, ubi eadem sententia verbis *sed nihil agemus, si* . . . . et § 57, ubi verbis *Actio recta non erit* . . . *redegerit* effertur, vix dubitabimus, lenissima coniectura cum Ruhkopfio pro v. *iactavimus* substituere *iactabimus.*

ε) Fut. exactum scriptor, ut duas res eodem tempore futuro perfectas denotet, et in sent. sec. et in prim. posuit de ira III, 32, 1; de ben. III, 26, 2; VI, 33, 2; n. qu. IV, 3, 1; ad Pol. 2, 1; de tranqu. a. 3, 6; in duabus autem periodis sententia cognatis tempora ita variavit ut in altera futurum, in altera fut. ex. etiam eiusdem verbi admitteret, de ben. V, 19, 1 *Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dedero, si domum tuam ardentem restinxero* . . ., *beneficium dabo.*

2. De eis sententiis condic., quae in protasi coni. praes. vel perfecti, in apodosi coni. praes. habent, taceo. Ceterum haec dicenda sunt:

a) post coni. praes. exstat in sent. prim. coni. perfecti potentialis de const. s. 7, 2; de tranqu. a. 3, 5; ep. 90, 37 et alibi.

b) Coni. praes. post p. *si* quam proxime significatione sua accedere ad futurum p. *si* subiunctum, intellegatur de ben. IV, 6, 1 et 2 *Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres beneficium* . . . — *Si pecuniam tibi aliquis donaverit* . . ., *beneficium vocabis* . . . — *Si domus tibi donetur* . . . ., *non mediocre munus vocabis.* Inspiciatur etiam de ben. V, 3, 3.

c) Multis locis scriptor coniunctivo praesentis in apodosi

indic. praes. subnexuit et hunc quidem non modo in his locutionibus *immensum est* (cf. de const. s. 18, 1), *infinitum est, si velim* (cf. n. qu. V, 17, 5) et similibus, quarum natura indic. postulatur, sed etiam alio modo, velut ad Marc. 21, 2 *minorem portionem aetas nostra quam puncti habet, si omni tempori* (c. A habet *tempore) comparetur;* de brev. v. 2, 1; 10, 3; de const. s. 4, 3; de v. b. 4, 3; de ben. III, 5, 1 *intercidit enim eorum scientia, nisi continuetur;* sic enim cod. N[1] lectio *continetur* facillime corrigitur, ut, quod Wesenbergius malit *continuatur*, reiciendum sit. Nec Gertzii coniectura *intercidat* vel *intercidet* opus esse exemplis a me citatis demonstratur; de ben. VII, 1, 2; 31, 1; n. qu. VI, 11, qui locus propter modorum varietatem insignis est; legitur enim *qui vi sua spiritum intendit et, si acrius instet, opposita diffindit, si vero remissior fuit, nihil amplius quam movet;* ep. 23, 3; 28, 6; 52, 12; 65, 16; 92, 14; 93, 6; 108, 7.

Eundem indic. praes. reperis post coni. perf. secundam personam ep. 79, 18; tertiam n. qu. VI, 28, 1.

d) Ea structura, qua coni. praesentis in apodosi sequitur futurum, a qua Draeger (cf. § 549, b, β) post Ciceronis aetatem scriptores Latinos magis magisque abstinuisse suspicatur, apud Senecam quidem frequentissima est. Exempla praesto sunt de tranqu. a. 8, 1; 17, 6; de const. s. 7, 3; de ben. VI, 16, 1; 19, 5; VII, 19, 1; n. qu. I, pr., 10; ep. 9, 16; 59, 8; 114, 27; fragm. 34.

e) Indic. perfecti, cuius Draeger unum exemplum ex Varrone citat, in sent. prim. quinquies reperitur, perfecti praesentis de ben. V, 3, 3 *beneficia fortasse beneficiis victa sunt, si inter se data et accepta compares;* de ira I, 2, 1; n. qu. VII, 27, 3; historici de clem. I, 9, 1 *divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare incipiat.* In quibus locis studium quoddam presse loquendi apparet, cum pro verbis *victa sunt, fuit* et cet. accuratius scriberetur *intelligas victa esse, fuisse . . .;* ep. 116, 8 deni-

que, ubi scriptum est *satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamns* illa *satis* ... *roboris* dicta sunt pro *sufficit robur, quod natura homini dedit.*

De ira autem l. III, 8, 1, ubi cod. A exhibet haec: *impudicorum coetus fortem quoque et, si liceat, virum, emolliit,* verba *et si liceat* vix sana sunt. Nam cum coni. modus displicet, tum, quid omnino licendi verbum hoc loco sibi velit, non intelligo. Quod a consilio scriptoris alienum esse videtur. Nam cum describere studeat, quam periculosum, quam pestiferum, quam efficax ad mores corrumpendos sit commercium et aliorum malorum et impudicorum, oportet eum hanc sententiam non verbis *si liceat* restringere, sed ut certam et indubitatam proferre, fortes ipsos illecebris impudicorum irretiri.

Praeterea nonne illud enuntiatum condicionale eodem modo ad v. *fortem* pertinens atque ad v. *virum,* ante vocem *virum* potius collocandum erat? An fieri potest ut notio *virum* maxime efferatur ita, ut gradatio insit in verbis *fortem* et *virum?* Minime. Vox *virum* enim, si cum emphasi, ut Lipsius vult, eam dici putamus, aut idem valet ac v. *fortem,* aut si vis, etiam minus, hominem non delitum iis luxuriae vitiis, quae naturae viri adversantur, certe non plus valet quam v. *fortem.* Hanc quidem difficultatem sustulit Kochius, cum scripsit *fortem quoque, si liceat, virum,* sed ceteras quas supra attigi, non amovit, ne citatis quidem Arnobii 1, 6, 4 *Christum .... vultis, si liceat, beluarum agrestium ritu cruentis oribus mandere* et Minucii Fel. 8, 4 *deos despuunt, rident sacra, miserentur miseri ipsi, si fas est, sacerdotum ...*

Pincianus proposuit *fortem et siliceum virum,* satis quidem leni coniectura; sed oblitus est, de translatione suis quamque linguam legibus astrictam esse. Neque enim adiectivi *siliceus* exempla in lexicis inveni nisi haec duo: Vitruv. 8, 3, 19 *saxa silicea* et Cat. de agric. 18, 3 *lapides siliceos,* ubi propriam sententiam habet, et substantivum *silex,* si per

imaginem usurpatur, non ad constantiam et fortitudinem, quae notio ad hunc locum sola quadrat, sed ad duritiam et crudelitatem transfertur.

Gertzius suspicatur scribendum esse *fortem et si placet virum* ac verba *si placet* idem esse vult ac „si hac appellatione me uti vis.“ Sed primum v.v. *si placet,* num eam significationem habere possint, dubium mihi est. Nam mea sententia ita tantum simplex illud *si placet* ponitur, ut verbi, quod est in enuntiato primario, infinitivus mente addi possit, quod hoc loco quominus faciamus, sententia prohibemur.

Deinde cum, ut Gertzius ipse dicit, vox *vir* saepe cum emphasi legatur, quid est cur scriptor, priusquam ea utatur, veniam huius usus a nobis petat?

Denique in Gertzii quoque coniectura vox *virum* collocatione sua plus ponderis accipere videtur, quam per notionem et vim eius licet, ut supra vidimus.

Ego puto verba scriptoris hoc modo restituenda esse: *fortem quoque scilicet virum emolliit.* Voce *scilicet* autem scriptor nominatim affirmat illam etiam fortium virorum depravationem, de quo contagionis genere gravissimo fortasse quispiam dubitet, non esse dubiam, quae sit natura atque ingens vis commercii impudicorum; quod ad consilium scriptoris bene convenit. Ceterum de part. *scilicet* cf. de tranqu. a. 1, 10; 7, 3; n. qu. VI, 20, 4.

3. Venio ad sententias condicionales, quibus condicionem veram non esse significatur, quarum

a) pauca exempla affero, quae in apodosi contra vulgarem usum coni. praeteriti v.v. *posse* et *debere* exhibent, de ot. 3, 5; de ben. III, 35, 4; n. qu., pr., 12;

b) Iam progredior ad usum a Seneca valde frequentatum, quo in sententia primar. talium periodorum pro coni. imperf. vel plusquamp. indicativum posuit, et fere quidem, ut significaret sine ulla dubitatione re vera fore vel futurum fuisse, ut res sent. prim. expressa fieret vel accideret, si condicio eveniret vel evenisset. Cuius usus nonnulla exempla

iam Opitzius (p. 23) attulit. Haec igitur genera distinguenda esse videntur:

α) In sentent. secundaria legitur coni., in prim. indic. imperfecti et verbi substantivi quidem cum gerundio ep. 51, 13; 76, 26; 88, 37 et saepius. Alia autem exempla sunt ep. 78, 21; 121, 11; de ben. VI, 26, 2; n. qu. V, 18, 7; de ben. IV, 23, 2. Optimo igitur iure Gertzius de ben. I, 1, 12 pro cod. N. corrupta lectione *erat . . . si . . . deceperit* scripsit *erat . . . si . . deciperet.* Unum exemplum adiungatur, in quo indic. et coni. copulati sunt, si quidem ratione habita Senecae licentiae variandi cum Gertzio leni ac satis certa mutatione de ben. III, 18, 2 pro cod. N[1] v. *promittere* scribimus *promitteret.*

β) In sent. sec. coni. imperf., in primaria indic. plusquamp. invenitur n. qu. I, pr., 4 *nisi ad haec admitterer, non fuerat nasci;* ep. 97, 16.

γ) In illa coni. plusquamp., in hac indic. imp. et coniug. periphrasticae quidem de ben. V, 6, 3; aliarum autem formarum verbi ad Helv. 19, 6 *multum erat si per XVI annos illam provincia probasset;* de ben. V, 6, 6; ep. 101, 12; in quibus locis imperfectum ad tempus praeteritum spectat ita, ut de ben. V, 24, 2, si *nisi* ex coniectura Gertzii probabilissima insertum probas; sed hoc loco status sent. prim. indicatus iam revera coepisse apparet, cum res sent. cond. expressa accidit. Legis enim haec *repere manibus volebam, nisi commilito . . . aquam . . . attulisset.*

At non de praeterito solo tempore, sed de ommi generaliter ita usurpatum invenis imperf. ep. 55, 11 *in angusto vivebamus, si quicquam esset cogitationibus clusum.*

δ) In sent. sec. coni. plusqu. est, in prim. indic. perf. neque solum verbi *posse* (cf. ad M. de c. 12, 1; 20, 5) sed etiam aliorum, ut n. qu. III, 27, 13 *sicut illud pro magnitudine rei dixit:*

omnia pontus erant . . . .,

nisi tantum impetum ingenii . . . ad pueriles ineptias

reduxisset; ubi sententia prim. prorsus e conexu condicionis seiuncta ad rem veram pertinet, ut *nisi* sententia vix abeat a voce *sed;* similis generis est ep. 92, 35. Postremo

ε) in sent. sec. coni., in prim. indic. plusquamp. scriptus est ad M. de c. 1, 4; 20, 4; de ben. II, 12, 2; IV, 38, 2 (quem l. Opitzius falso in l. VI esse dicit); VII, 9, 4; de ira I, 11, 5; II, 33, 6; lud. 6, 1; ep. 114, 4; fragm. 98; etiam unius eiusdemque verbi n. qu. I, 17, 6 *et id impune eruerant, si solum eruissent.*

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR:

DE CONIUNCTIONUM USU APUD SENECAM PHILOSOPHUM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIX. MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCXC HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

GEORGIUS REINECKE

HANNOVERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ADOLPHUS BRUENING, DR. PHIL.
FREDERICUS MEESE, SEM. PHIL. REG. SENIOR.
EDUARDUS TAPPERTZ, CAND. PHIL.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA BRUNNIANA.

MDCCCXC.